

*El collegio de la comp<sup>a</sup> de Ss de Granada*

*Bd*  
*R-11.737*

ADAMI SENIORIS, SCOTI,

MONACHI ORDINIS CISTERCIENSIS,

Monasterij Kynlossensis, Ad Reuerendum

in Christo Patrem ac Dominum, Do-

minum ROBERTVM REID,

Orchadum Præsulem,

STRENAE,

SIVE

Conciones Capitulares.

Magnus Dominus, & laudabilis nimis:

& magnitudinis eius non est finis.

Pfal. 144.




PARISIIS.

Ex typographia Matthæi Dauîdis, via amygdalina, ad Veritatis insigne.

*cos. 7. 76.*

*El D. Alcaraz*

I 5 5 8.



ADAMVS SENIOR, SCOTVS,  
MONACHVS ORDINIS CISTER-  
ciensis, monasterij Kynlossensis, Reuerendo in  
Christo Patri ac Domino, Domino  
ROBERTO REID Orchardum  
Præsuli S. D. P.

**D**EDERAM ad Reuerentiam tuam ante  
sesquiannum, aut plus eo, binas literas,  
eodem ferè argumento conscriptas, Anti-  
stes dignissime: breues quidem illas, &  
quasi tumultuarias: sed pro argumento  
longas, & concinnas satis: quæ reuerentiam tuam in  
primis certiore redderent, de prospera & integra vale-  
tudine ingenui adolescentis, Galteri Reid, abbatis Kyn-  
lossensis nepotis tui: pariter & de eiusdem progressu incre-  
mentoque satis fælici, in vtraque lingua, Latina videlicet  
& Græca: sed & linguarum earundem cognitione non  
contemnenda iam habita: asseueraueram eum trino etiam  
philosophiæ generi, rationali, morali, & naturali, non  
segniter aut desuntoriè, sed totis & corporis & ingenij  
neruis inuigilare. Subinde verò eundem in disciplina mo-  
rum, atque vitæ honestate suis maioribus, vitæ & mo-  
rum probitate merito laudatis, non dissimilem sese, ubique  
& semper præbere. Tum denique de nonnullis rebus aliis,  
quæ tunc temporis apud nos gerebantur, reuerentiâ tuam  
sedulo ammonueram. Quas literas equidem arbitror, aut  
omnino periisse, in tam longa terra & maris peregrina-  
tione: aut certè ab improbo aliquo interceptas, in tuas

manus minimè peruenisse: vt sunt parum sincerae fidei  
in reddendis literis alienis hominum plerique, in quorum  
manus aliena scripta fortuitu inciderint. Quibusquidem  
literis inter alia, etiam rogaueram tuam reuerentiam  
(iam verò præbuerant mihi eam fiduciam, tam familia-  
ribus scriptis dignitatem tuam interpellandi, ista tua  
in omnium hominum negotiis honestioribus, mira, non  
soli mihi, sed & omnibus nota facilitas, officiosa sedulitas,  
arque sponte sua, sine fastu, occurrens quadam prom-  
ptitudo) transmitterentur Lutetiam ad me, Conciones  
aliquot capitulares, vt vocant, à me adhuc adolescente,  
horis, quibus per præscriptas religionis obseruationes li-  
cuit: partim ex sacris literis, partim verò ex prælectio-  
nibus meis diurnis hinc inde exercitiij causa excerpta, tri-  
uialique sermone meo congesta, & in Monasteriorum  
tuorum Kynlos, atque Belli loci capitulis, diebus ab or-  
dine nostro constitutis, vt fit, pronunciata: dum eorun-  
dem monasteriorum fratribus adolescentioribus erudiendis,  
& literarum studiis in eisdem cænobijs promouendis iussu  
tuo præessem. Sed quæ fortè in museolo meo apud Kynlos,  
tanquam res non adeo magni momenti, nescio quo in  
angulo delitescens relicta essent, dum Lutetiam, eidem  
nepoti tuo πικρανωρῆς te imperate properarem. Statueram  
autem tunc, quum ad te scriberem, Conciones illas, his  
quas non ita pridem Lutetiaeram commentatus, adiun-  
gere: Iunctas verò, prælo subdere: si quicquã fortasse  
vilitatis, quantumlibet exiguum, ex hisce studiorum  
meorum primitiis emanare lectori, aut fructus accrescere

posset. Verum, posteaquam annum vnum, aut eo amplius, ad literas meas in eo negotiolo responsum expectassem: tandem prater omnem spem meam, allata est quasi pars tertia mearum omnium Concionum, reuerentia tua nec imperante, nec sciente: & ea, profecto, tam mutila, disrupta, blattisque erosa atque exesa, vt vix tandem recognorim schædas illas aliquando meas fuisse. Nihil tamen minus, cæpi cuiusdam veteris amici, inter primos probi, & minimè mendacis censuram attentare, depromens vnam atque alteram paginam manu mea recens transcriptam, an ipse censeret dignas quæ prælo submitterentur. Qui pagellas ipsas oblatas, iterum ac tertio lectione percurrrens, respondet non omnino indignas quæ typis æneis excuderentur. vel in hoc mādentur prælo (inquit) vt nouitij vestri (sic enim fratres nostros adolescentiores appellitabat ille) conciunculis huiuscemodi leuiusculis & velitaribus excogitandis, & componendis ingenium suum memoriámque excerceant, siquando per obseruationes regulares, & grauiora literarum studia eis liceat: vel, vt sint veluti semina quadam huius tui argumenti, quò te (me aspectans) doctioribus post occasio detur, easdem fusius tractandi, & ad iustam voluminis magnitudinē pro rei dignitate amplificandi. Ego verò censorem consultorémque meum haudquaquam mihi adblandiri persentiens, sed serio loqui expertus: ex omnibus quas habui homiliis aliquot contractiores (non quidem eodem temporum ordine, quo à me primùm congestæ sunt, & pronunciate: quasdam enim conscripsi

ac pronūciaui, vix dum ordinē nostrum professus) singulis diebus, quibus in ordine nostro homilia capitularis dari solet (Natiuitati autem dominicæ consultò duas adscripsi: totidem adscripturus Resurrectioni, si licuisset paulò diutius Lutetiæ commorari) singulis inquam diebus, homilias singulas donans, submittere prælo studui, & easdem nomini tuo, dignissime præsul, nuncupauī atque dedicaui. At nō certe tibi, vt cuius nomini iam illustrissimo, atque clarissimo, splendoris quicquam ex huiuscemodi scriptiunculis accedere posse existimem: sed verius, vt cui memet totum semel, secundum Deum, & omnia mea, etiam minima, me certissimè debere sciā. Accipe itaque, Antistes dignissime, qua soles, fronte hilari, & ea mentis serenitate qua ipsam offero, isthanc strenulam meam literariam, ineuntis huius anni fœlix (ita velit Deus Optimus Maximus, superique omnes) ac faustum auspiciū: Munusculum, & si (non ignoro) dignitate tua haudquaquam dignum, tamen obseruantia meæ erga reuerentiam tuam, & grati animi qualecunque indicium atque testimonium. Vt autem ad magna non sufficio: ita quod possum, id tantillum præsto libenter atque offero: maiora certè modò daturus, si voluntati par esset virium facultas. Christus Dominus, & seruator tuam reuerentiam, atque Ecclesiam vniuersam Orchadensem tueatur à malo, & omni-gena benedictione fœlicitet. Lutetiæ, ex Schola Regali Burgundiana. Calend. Ianuariis. 1558.

IN ADAMI SENIORIS

Θεοσοφίας Henrici Blacnodai ad Lectorem

δεξιόχειρος.



*I vis mellifluos Sophia libare sapes,  
Et cupis atherei regna beata poli:  
Si laudare voles caelestia numina diuûm,  
Et Xenophontao vis simul ore loqui:  
Quisquis non vanis vitam traducere rebus  
Optas: sed sacris instituisse modis:  
Huc ades, hîc non sunt puerorum nania: at omni  
Tersa labore senis verba videre potes.  
Hac & Aristotelis superant & scripta Platonis,  
Hunc ergo debes consuluisse librum.*

STANLEY SENIOR'S  
George Lane, London E.C.

1890

Dear Sir,  
I have the pleasure to inform you  
that your order for  
100 copies of the  
"History of the County of  
Gloucester" has been  
received and is being  
sent to you by the  
next post.



Yours faithfully,  
Stanley Senior

Printed by Stanley Senior





DE NATALI DOMINI

NOSTRI IESV CHRISTI:

Concio Capicularis.

THEMA.

*In principio erat Verbum: Et Verbum caro  
factum est: Et habitauit in nobis.*

*Ioan. primo.*



SERMO magnus, & mirabilis  
valde, & iucundus valde, in au-  
ribus nostris sonuit, fratres, quum  
sacrum Euangelium hodiernum  
Ioannis legeretur. Qui sermo,  
quantus & qualis sit, nec ego,  
cui sacrarum literarum cognitio, aut omnino, aut  
maxima ex parte abest: & concionandi deest, vel  
certè perexigua est peritia, dignè enarrare valeo.  
Nec qui de multis & variis rebus aliis, non modo  
copiose atque subtiliter, sed & splendidè quoque,  
& foeliciter differere norunt: satis pro ipsius digni-  
tate, qualis & quantus, quàm mirabilis, quàm iu-  
cundus denique penitus ipsum intuētibus sit ser-  
mo iste, *In principio erat Verbum: Et Verbum caro  
factum est:* explicare valent. Nam in hoc verbo,

b. j.

quod caro factum est, & habitauit in nobis, altius inherendo, atque eius immensitatem subtili speculatione diligenter considerando: ratio humana, infirmitate sua, atque imbecillitate perturbata, vacillat, labascit, & exhausta suis viribus, nihil sibi proprium in eo deprehendens, deficit: vox ipsa penuria & tenuitate verborum, filet. Non humana tantum vox, sed angelica quoque mens: dum rimatur profunditatem atque subtilitatem sacri, secretique mysterij huius: In principio erat Verbum: Et Verbum caro factum est: eisdem oppressa, admirans, vt ita dicam, conticescit. Nam cuius, quaeso, verba sunt haec: In principio erat Verbum: Et Verbum caro factum est: Et habitauit in nobis? Non humana certè, aut angelica, sed plane verba diuina sunt: In principio erat Verbum: Et Verbum caro factum est: & habitauit in nobis. Genus siquidem huius verbi, id est, Christi filij Dei, & ipsius substantiam, & naturam proferre atque pandere nullius sermo plene sufficit. Per prophetam enim scriptum est: Generationem eius quis enarrabit? Et alibi quoque de eodem vocibus caelestibus ita refertur: Quia nemo nouit filium nisi pater: sed neque patrem quis nouit, nisi filius. Solus igitur ille qui genuit, nosse dicitur filium pater: & filius patrem. Quod si verum est, vt certè verum est: Ecquis eum, qui ante omnem creaturam, visibilem atque inuisibilem semper fuisse: & in initio iam fuisse ex

Efai. 53.

Matth. 11.

ipſo patre genitus: Et cum patre ſempiternus exiſtiſſe deſcribitur, ſermone ſufficienti comprehendere poterit? Quis omnium cæleſtium, immortalium diuinarumque virtutum Dominum: & ducem atque principem cæleſtis militiæ: & magni conſilij angelum: volûtatis paternę efficaciam: quem cum patre, omnia quę ſunt, creaffe & condidiſſe conſtat, vt verum filium & vnigenitum, & omnium quę creata ſunt, Dominum & regem, ac dominatorem, paterna virtute ac poteſtate, cuncta moderantem verbis dignis explicet? Sed & cur, & quomodo denique ex Virginis matris immaculatę atque intactę vtero carnem aſſumere voluerit Verbum, quod caro factum eſt: Et habitauit in nobis: conſilij quoque huius ſumma, penes Dominum Deum ipſum ſolum eſt. Sed ſapientiã Do- Eccle. i.  
 mini præcedentem omnia, quis inueſtigabit? Et Apoſtol<sup>9</sup>: Quis cognouit ſenſum Domini, aut quis Rom. ii.  
 conſiliarius eius fuit? Inextricabilis igitur, & ineffabilis vtrinque eſt, & angelis & hominibus, diuina illa Generatio atque Natiuitas: de qua vtraque Ioannes Euangelifta ſpiritu Dei repletus, in hanc vocem prorumpit dicens: In principio erat Ioan. 2.  
 Verbum: Et Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum: Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil. Et paucis interpoſitis: Verbũ caro factum eſt: & habitauit in nobis. Neminẽ tamen arbitror

Christianismum verè professum, nec Christianæ professionis tam ignarum existere, modò penitus mentis acie inspexerit, & exactius sermonem hunc semper venerandum: In principio erat Verbum: Et Verbum caro factū est: sæpius meditādo secum bene affectus, discussit, qui in huius vocis sono: In principio erat Verbum: Et Verbum caro factū est: Et habitavit in nobis: non genua curuet, procumbat, veneretur, & adoret reconditam huius Verbi, quod caro factum est, naturam incomprehensibilem, incommutabilem, impartibilem, omnium nobilissimam, in omnibus existentem, omnium fundamentum, omnium verticem & fastigium (sub quo fastigio, omnia sunt, mouentur, & ex quo solo, vniuersæ creaturæ salus, & duratio pendet) Et nihilo tamen minus, sub nostræ carnis miseria, atque infirmitate, ineffabili modo, atque ratione occultam, tectam, atque latentem. Noua valde sunt hæc, & multo certè maiora, quanuis verbis breuia, quàm quæ ab vlllo homine, vti iam retulimus, aut lucidè explicari, aut satis dignè, præ mentis hebetudine, & verborum inopia enarrari valeant. Ea sanè omnia, quæ sunt diuina, altius disquirere, & diuinarum literarum penitiorè & germanum vbique sensum prosequi, animosus valde, fortisque conatus est: vt pote humani ingenij captum, propter multiplicem earum intellectum, ferè semper superantem. Sed multò maximè, quum

de Deo ipso agitur, sui cognitionem, & magnitudinem, sibi permittere necessum est, eique pia veneratione famulari oportet: quum lingua humana ad loquendum, auris ad audiendum, intellectus ad concipiendum non plenè sufficiant: iuxta sapientem, qui in eo intonat clamans: *Quis sufficit enarrare opera illius? quis enim inuestigabit magnalia eius? virtutem autem magnitudinis eius quis enunciat? Non est minuere, neque adiicere, nec est inuenire magnalia Dei. Cui etiam suffragari videtur Apostolus vbi ait: O altitudo diuitiarum sapientiae & scientiae Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viae eius? Certum tamen est proborum virorum testimoniis irrefragabilibus, tam doctis, quam ignaris, natura insitum esse, vt Deum vbique, & semper laudari atque glorificari quouis modo cupiant: Etiam si in modo nonnunquam hallucinentur, & toto caelo, vt dici solet, plerunque aberrant. Sed & nos quoque inter ignaros (quod diffiteri non possumus) primi, malumus hodie pauca vel infantius in gloriam huius Verbi, quod caro factum est: & habitauit in nobis: ac eius matris illibatae laudem, quasi balbutiendo infantiliter loqui, quam omnino silere: etsi iam dudum compertum habeamus, minus idoneos nos esse, qui vos (fratres in Christo domino charissimi) non modo literarum humaniorum cognitione insignes: sed & moribus, & vita graues, hac nostra*

Ecclesia. 18.

Rom. 11.

conciuncula infantili euocaremus. Cupientes tamen superiorum dierum ocii nostri, & cessationis à præscriptis regulæ obseruationibus ( si quoquo modo commodè id poterimus) rationem reddere: hunc ad dicendum locum iam ascendimus: ingenuè ac palàm fatentes (virium nostrarum & tenuitatis nō ignari) nos, maiora viribus nostris aggredi. Dicemus tamen, si Deo placet, qui linguas infantium & lactentium, in suam laudem fecit disertas: Et asini os vt loqueretur aperuit. Dicemus, inquam, sed non quàm magnus sit sermo, qui auribus nostris intonuit: In principio erat Verbū: & Verbum caro factum est: & habitauit in nobis ( id autem omnem humanæ mentis captum, atque adeo angelorum, vti iam dixi, longe excedit) sed dicemus quantum Verbum, quod caro factum est: nobis hac concione, eaque perbreui concesserit: charitatis officio, & ordinis nostri, atque loci huius probatæ consuetudini, pro virili nostra satis facientes. Si tamen prius ipsum Verbum, caro factum, hoc est, Iesum Christum altissimi filium, ac eius matrem illibatam, omnes pariter inuocauerimus, quo mihi suggerant festiuitate hodierna, & suscepto argumento quedam digna: & ea nobis omnibus frugifera, flexis genibus offerentes: Ave gratia plena.

Psal. 8.

Nume. 22.

## DE NATALI DOMINI

NOSTRI IESV CHRISTI

Concio Capitularis.

THEMA.

*In principio erat Verbum: & Verbum caro  
factum est: & habitavit in nobis.*

*Ioan. primo.*

**S**UPREMV S ille rerum procreator Deus, occulto incognitôque consilio, suspicienda bonitate, admirandâque liberalitate, & inscrutabili sapientia, hominem primum ad imaginem & similitudinē suam, temporibus sibi placitis, nudum quidem corpore, sed iusticia originali abunde dotatum, ad quæuis tamen, vt quocunque voluerit, sese vertat, ampla libertate procliuem condidit, & tanquam inter cætera, præclarissimum opus propriis manibus plasmavit: in cuius faciem effudit spiraculum vitæ. Cui proposuit, vt concinunt non vno in loco sacræ literæ, bonum & malum, ignem & aquam, vitam & mortem, rerum opulentiam, aut earundem defectum & indigentiam: ita vt iam sic in vtramuis partem dehiscens, si libertate donata, charismatum ac gratiarum donis liberalissime & vltro tributis, tanquam ingratus seruus, & beneficiorum immemor abuteretur: in omnium rerum penu-

Gen. i.

Eccle. 15.17.

b. iij.

riam, carnis aduersus spiritum rebellionē, morbos, langores, pressuras, & quod deterrimum est, in mortem denique omnium longe atrocissimam, atque horrendas tenebras præcipitaretur. E contrario verò, si suo bene rectèque vteretur arbitrio, Deo, suo plasmatori obaudiret, hostis seuiētis ignea iacula fortiter retunderet, atque in vinea Domini gnauiter operaretur: eidem bonorum omnium terrenorum non solum abundantiam largiretur: sed & ipsi ineffabiles ac pretiosissimos suarum diuitiarum adaperiret ostenderetque thesauros: & eorundem affatim participem efficeret: sicque demum in pacis tranquillitate perpetuò victurus, in paradysum cælestem gloriose transferretur. At is, qui ab initio homicida fuit, liuore ac furore inuidiæ æstuans, hominem ipsum, ne tam magni, tamque præcellentis boni particeps fieret: occulta ac latente primum fraude, deinde aperta tyrannide aggressus, superauit atque supplantauit. Et hostis ille efferatus, adhuc indefinenter plusquam tyrannica ferocitate contendit, mortales omnes ab illo supremo, quo ipse priuatur bono, auertere atque abducere, mille artibus instructus, quibus excæcet atque dementet, quos suis fallaciis effascinare potest. At

Ioan. 8. vbi venit plenitudo temporis: tempus miserendi, & annus benignitatis fœlicissimus, & in æternum benedictus: apparuit benignitas Saluatoris nostri

Gen. 3. Ad Tit. 3. Dei, non autem ex operibus iustitiæ quæ fecimus



nos : sed omnipotens ac benignus pater, cogitans iam cogitationes pacis, & non afflictionis: quod Heb. 1. aliàs per seruos suos Prophetas patribus nostris præ nuntiauit, nobis in filio suo, Verbo quod in principio & ante secula erat, & ante ipsum incarnationis opus, per se subsistens: non in vmbra aut obscuritate loquutus est dicens: Nolite timere, ecce ego Esaï. 52. ipse adsum: vt genus humanum, quod iam diu sub Galat. 4. lege peccati, & sathanæ tyrannide miserrimè detinebatur: à miseræ illius seruitutis, & peccati iugo erueret atque subleuaret. Excogitauit enim sapienter valde, per sapientiam suam infinitam, & clemēter, potens & clemens generis nostri procreator Deus, quibus modis nō fraudaretur plasma suum, tanto, tāmque excellenti bono, ad quod creatum fuerat, nimirū æterna beatitudine. Creauerat enim hominem Deus, vt homo Deum suum creatorem, summum bonum intelligeret, atque intelligendo, in ipsum totus intenderet, & eum super omnia amaret, amando verò possideret, & eo tandem perfrueretur: Et vt inuisibilem creatorē, visibilis ipsius imago (impressit enim Deus in hominē imaginis sui decorem) mundo quasi præsentem redderet. Et quod olim in homine fecerat Dominus Deus, demum in seipsum multo verius misericorditer recepit. In homine enim verè, & non ad imaginē aut similitudinem se videri volens, in quo antè imaginariè tantum videbatur: induit hominem, habens 2. Cor. 4.



Atha.

ex Deo patre, vt imago ipsius effet (ante tempora genitus, & nunquam creatus, semper autem patri coeternus, coequalis, & in nullo ei dissimilis) vt proprie Deus & homo esset. Nomen eius igitur Deus est, & nomen eius homo est. Et eum credere, & confiteri Deum & hominem, necessum est. Idcirco Deus homo est: quia Verbum caro factum est: & Iesus Christus Dei filius, iuxta prædictiones & oracula vatum, in Bethleem Iudæ natus est.

Luc. 2.

Itaque iam Deus non est, sicut vnus ex nobis, quem admodum hostis nostri generis perniciosissimus, de prothoplastis, præceptum Domini præuaricaturis, insigni mendacio illudens dixit: Nequaquam moriemini, sed eritis sicut dij. Sed ante tempora Deus est: quia In principio erat Verbum: & Verbum erat apud Deum: & Deus erat Verbum. Et in tempore hoc nouissimo, verè vnus ex nobis est: quia Verbum caro factum est: & habitauit in nobis.

Gen. 3.

Deus itaque omnium procreator, fit angelis inferior, hominibus æqualis: Et infirmitate humana circumdatus, carne nostra assumpta, immensam & inexhaustam deitatem suam, exuberante largitate, verè nobis donauit atque erogauit: vt Deus & homo, geminæ gygas substantiæ, fractis, supplantisque sathanæ viribus, hominem ad caeleste regnum, vnde infœliciter deceptus ceciderat: misericorditer subueheret atque reportaret. Ideoque Verbum caro factum est: & habitauit in nobis.

Heb. 2.

Deus itaque omnium procreator, fit angelis inferior, hominibus æqualis: Et infirmitate humana circumdatus, carne nostra assumpta, immensam & inexhaustam deitatem suam, exuberante largitate, verè nobis donauit atque erogauit: vt Deus & homo, geminæ gygas substantiæ, fractis, supplantisque sathanæ viribus, hominem ad caeleste regnum, vnde infœliciter deceptus ceciderat: misericorditer subueheret atque reportaret. Ideoque Verbum caro factum est: & habitauit in nobis.

Quàm iucundum memoratu, si quis posset aptis  
 fatis, & dignis verbis commemorare stupendum  
 atque admirabile commercium illud, quo Deus ad  
 hominem descendit, vt homini ad Deum ascēsum  
 præberet! quàm lætus, quàm suspiciendus sermo,  
 qui hodie auribus nostris intonuit: Verbum caro  
 factum est: & habitauit in nobis! quàm fœlix no-  
 bis miseris peccatoribus, qui in iniquitatibus con-  
 cepti sumus & nati, sermo ille: Verbum caro fa-  
 ctum est: & habitauit in nobis! Cuiusquidem ser-  
 monis non dico septies, aut decies, sed septuagies  
 septies repetiti, tædium aut satietas, homini verè  
 Christiano, & paulò fixius intuenti, nunquam ob-  
 reperi potest: sed recreat potius, & consolatione  
 mirifica afficit: sic, vt in ore nostro semper perto-  
 nare: debeat, & mente sedula reuolui: Verbum caro  
 factum est: Et Iesus Christus, Dei filius in Bethleem  
 Iudæ natus est. Quia natus sola humani generis gra-  
 tuita dilectione, ac charitate attractus: omnino ad  
 gloriam immensæ bonitatis suæ, & indigentia nostræ  
 restaurationem atque profectum: vtque di-  
 minutione sua, nostrum genus adaugeat, sua pau-  
 pertate ditet, humiliatione glorificet, exinanitione  
 denique repleat: totam deitatis suæ plenitudinem,  
 in nos effundens: sed interim non confundens. Nā  
 Verbum caro factum est: non cōuersum in carnem:  
 nec vnus factum est naturæ, quasi diuinitatis &  
 humanitatis cōmixtione: sed sic in carne & natura

Pfal. 50.

Luc. 2.

Ephe. 2.

2. Corin. 8.

Atha.

nostra, modo inexcogitabili, Verbum caro factum est, vt in sua propria natura prorsus distinctum permaneret. Iure igitur optimo, sermo magnus, & mirabilis valde dici potest: Verbum caro factum est: & habitauit in nobis. Ecquid autem vsquam est vel in cælo vel in terra, hoc verbo mirabilius quod caro factum est: & habitauit in nobis? Nam Deus est, quo nihil sublimius, nihil maius, nihil superius excogitare potes: Et Verbum illud caro factum est, qua nihil mollius, nihil inanius, nihil vanitati proximius inuenire valeas: Verbum idem ipsum tamē, quod in principio erat apud Deum, & per quod facta sunt omnia: caro factum est: & habitauit in nobis: Et Iesus Christus Dei filius, in Bethleem Iudæ natus est nobis: vt qui olim Verbum Dei tantum audire poteramus: iam ipsum Verbum caro factum, videre & gustare, aliosque sensus, in auditus testimonium cōuocare valemus: vt sic communi omnium consensu, corde ipso credentes ad iustitiam, ore cōfidentes ad salutem: Verbum caro factum esse: & habitare in nobis. Quale, quæso, est istud sacramentum? quale miraculum? quis hoc facile sperasset? quis hominū benedictionem hanc certò vnquam expectasset? Nesciebant Angeli, nec sacrum hoc mysterium homines præscierant: imò nec vniuersus orbis, hæc rectè diuinasset: Deus tamen, qui absconditus ab angelis & hominibus erat, lucem inhabitans inaccessibilem: manifeste homi-

Rom. 10.

Chrisost.  
tom. 3. ho-  
milia 1.

1. Timot. 6.

nem factum se, hominibus exhibuit. Dei inquam, Tit. 2.  
 gratia, quæ prius in cælis, velut sub clauē recon-  
 dita erat: nobis in terris homo hodie apparuit: quia  
 Verbum caro factum est: Et Iesus Christus Dei fi-  
 lius, in Bethleem Iudæ natus est. Fœlix valde, valde  
 fœlix: mirabilis nimium, nimium mirabilis: Nēpe  
 inextricabilis, atque adēdō inexcogitabilis illa, vt  
 ita dicā μεταμύρφωσις, qua vtriusque naturæ, diuinæ  
 scilicet & humanæ coniunctio in carne facta est:  
 & id præter omnem carnis operationē: Nam Ver-  
 bum caro factum est: & habitauit in nobis. Quàm  
 immensa, nec vnquam satis laudata, admiranda  
 summi Patris in nos charitas atque beneuolentia,  
 cuius Verbum caro factum est: Et habitauit in no-  
 bis! Cùm autem filij iræ, & per inobedientiam præ-  
 uaricatores, & æternę damnationis rei essemus om-  
 nes nos: per naturalem tamen Dei filium, illius Rom. 8.  
 adoptione & gratia, filij Dei, & eiusdem Verbi co-  
 hæredes facti sumus: quia Verbum caro factum est:  
 Et habitauit in nobis. Non enim propter seipsum,  
 vt iam dixi, Verbum caro factum est: sed propter  
 nos miseros homuntiones, qui nisi per Verbum  
 caro factum, in Dei filios transmutari, atque ado-  
 ptari minime potuissēmus. In hoc siquidem, Ver-  
 bum caro factum est: Et habitauit in nobis: vt in  
 ipsum caro, id est, homo credens: ad Verbum Chri-  
 stum, verum Deum, & verum hominem ascēderet:  
 vtque ex hominibus deos faceret, qui ex Deo ho-

Pfal. 2.

Pfal. 74.

Esa. 53.

Luc. 1.

minem fecit: dum Verbum caro factum est: & habitauit in nobis. Vocem ergo salutarem & iucundam: vocem exultationis & lætitiæ magnæ, nempe salutis nostræ & redemptionis initium: Verbum caro factū est: Et Iesus Christus Dei filius, in Bethleem Iudæ natus est. Sed & quàm amabilem, quàm suauem, quàm delectabilem fructum, terra nostra, Maria Virgo intemerata in fine temporum nobis genuinavit? Nimirū eum ipsum, de quo cælitus, inter alia scribitur, Filius meus est tu, ego hodie genui te. Et: Veritas de terra orta est: & iusticia de cælo prospexit. Et: Dominus dabit benignitatē: & terra nostra dabit fructum suum. O admirabilem toti mundo generationem illam Verbi, quod in principio erat apud Deum, nempe supra omnem naturam. Etenim quis eam, inquit Propheta, enarrabit? Nulla autē est nec in terris, nec in cælis, creata similitudo, quæ æternam illam filij à patre generationem, ad plenum adumbrare queat. Attamen Verbum quod in principio erat apud Deum, & in quo subsistunt omnia: per virginitatem illibatam, ad nos appropinquans, caro factum est: & habitauit in nobis. Angelus quippe Gabriel, Mariæ virgini intemeratæ partum nūtiat: virtus altissimi eidē virgini obūbrat: altissimi spiritus virgini superuenit: virgo ipsa credit: virgo integra semper, fide sola cōcipit: virgo parturit: virgo parit: & post partum, virgo inuiolata semper permanet. Et ita Verbum caro factum est: Et Iesus Christus Dei filius, ex vir-

gine matre natus est. Ecquis hæc legens, non demiretur? vel quis hæc attenta aure audiens, & fixius perpendens, non hilarescat & iucundetur? Imò quis hæc meditans, & altius considerans, non simul & admiretur, & totus perfusus gaudio, non subsileat & leterur? Nascitur autem homo in tempore, ex virgine matre (vti paulò ante commemorauimus) altissimi filius, Deus de Deo, ante secula, & omnem creaturam ex patre progenitus. Quid tale vnquam auditum erat in terra nostra? Verbum caro factum est: Et Iesus Christus Dei filius, ex Virgine matre natus est. Quum igitur audimus sermonem hunc magnum, & mirabilem valde: In principio erat Verbum: & Verbum caro factum est: & habitauit in nobis: Ne vacillemus hallucinantes, cum nonnullis Christianæ fidei aduersariis, qui Christum, naturam à matre cœpisse habere: & sic, vt mater eum, ita loquuntur, præextiterit: Et non ante secula, ex deo patre genitum, patri coæternum, coæqualem, atque consubstantialem esse: Et alia non pauca, de æterna & ineffabili illa generatione, atque natiuitate temporali: adeo quidem, vt nec Deus ab eis esse credatur: quæ aures verè Christianæ refugiunt, atque execrantur: impudenter nimis, ore blasphemio affirmare, non reformidant. Sed potius firmi, gaudentesque in hoc ipsum Verbum, sub quo non est aliud sub cælo, in quo nos oporteat saluos fieri, aut remissionem pec-

Ebion.  
Marchio.  
Arrius,  
& obtuso  
corde, eo-  
rum sequa-  
ces.

Act. 4.

catorū accipere, sicuti Prophetę omnes testimoniū perhibent: spem optimā reponamus, atque securi defigamus: procumbētes, & tota mente adorantes miram illam, & inexplicabilem Verbi, quod caro factum est: & habitauit in nobis: Generationem æternam, simul & natiuitatem temporalem: quam certè vtramque admirari (quandoquidem ineffabili ratione, modo & forma, atque vt Deum decuit, genitus sit, & homo factus) ac summe venerari, & simplici corde religiosęque credere, firma fide tenere, procliuius est, meliúsque congruit, quàm cuiusquam concionis inopia, vti modo commemorauimus, congruè referari potest: quantumuis in hoc, totum humanum desudarit ingenium: Et omnes animi neruos huc intenderit: Nec forsitan Ioānes ipse, vt refert Agustinus, dixit totum vt est, sed vt potuit, dum dixit: In principio erat Verbum: Et Verbum caro factum est: Et habitauit in nobis. Factum est autem Verbum hoc pro nobis caro: quę admodum factum est pro nobis maledictum & execratio, id est, pro peccatis nostris hostia, vt nos à maledictione eriperet atque liberaret: Et vt molestias nostras in se transferret: vt dānationis nostrę denique chyrographū suo sanguine deleret, atque expurgaret. Nam ita planè voluit, sicque illi placuit, & id nobis necessarium fuit, vt quod in principio erat Verbum: caro factum esset: & habitaret in nobis. Itaque, fratres, positis supercilliis, demisse

D. Aug. i Io.

Galat. 3.



credamus:ac gratias agamus Verbo,quod caro factum est:& habitauit in nobis:hoc est,Domino nostro Iesu Christo: propter gratuitam, simul & gratiosam incarnationem,& natiuitatis suę diem toto pectore pariter dicentes: O Rex æternę glorię, nomen tuum collaudamus, per quod nobis miseris peccatoribus potestatem dedisti,filios Dei fieri: Et in spe filiorum Dei gloriari.Fac, benignissime Deus, nobiscum misericordiam hanc,vt digne valeamus, Verbum insitum suscipere, quod animas nostras potest saluare.

Ioan. i.

Rom. 5.

Iac. i.

ITEM, DE NATALI DOMINI

NOSTRI IESV CHRISTI

Concio Capitularis.

THEMA.

*Paruulus enim natus est nobis: &  
filius datus est nobis.*

*Eesai. 9.*

**S**CRIPTORES recensentes varios antiquorum mores, atque instituta varia, fratres, vnum hoc, inter pleraque alia, literis mandarunt:in Thracia more veteri obseruatũ: Thracas liberos recens natos, flebiliter celebrare solere:exequias verò, gaudio & exultatione profequi. Illud autem facere Thraces

d.j.

creduntur, quòd humanę vitę miseras, recens nati subire videantur: hoc, quòd huius mundi labores, anxietates, ærumnas, languores, morbos, pressuras, & præsentis vitę sortes, quibus humana conditio noctu dięque exagitari cognoscitur: hac mortali vita defuncti, iam euasisse existimentur. Cui rei, etsi nonnulli alij testimonium perhibent, Solinus tamen scriptor approbatus, in primis assentire videtur, vbi de Thracensibus scribens ait: Apud plurimos luçtuosa sunt puerperia: recentem denique natum, fletu parens excipit: cõtrauersum, læta sunt funera, adeo vt exemptos gaudiis prosequantur. Neque mirandum, illa fieri à Barbaris (sic enim gentem eam vocat Solinus) sola vitę huius mortalis conditione inspecta: Quum diuina sapientia instructus Salomon, ab eadem sententia, non multum adeo dissentire videatur. Apud Ecclesiasten enim scribitur: Melior est dies mortis, die natiuitatis. Quid ni melior dies mortis, die natiuitatis, eorum præcipuè, qui in Domino moriuntur? Siquidem in hac valle miserię, statim ab ipso natiuitatis die, omniũ dolorum, atque miseriarum, paratissimum diuersoriũ est homo semper. Dein de impiorum natalia inania sunt: Meliusque eis foret, si nati non essent, etiam si reges eos, in hunc mundum nasci contingat. In natiuitate verò hodierna Christi Iesu filij Dei, qua ad æternam vitam, & fœlicitatem perennem, nos etiam renascimur, non

Cap. 15.

Cap. 15.

Eccle. 7.

solum non dolendum, sed potius mortalibus cunctis, æternùm congaudendum esse, admonet pastores Bethleemitas, nuntius cælestis dicens: Ecce Luc. 2. enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid. Sed ne longior sim, quàm temporis ratio postulat: rogo, adeste animis æquioribus, fratres: Et virginem puerperam mecum rogate, quo vel tantillum, tanto puerperio dignum, modo afferre queam: ei supplices offerentes salutationem Angelicam: Aue gratia plena.

## ITEM, DE NATALI DOMINI

NOSTRI IESV CHRISTI

Concio Capitularis.

THEMA.

*Paruulus enim natus est nobis: &**filius datus est nobis.**Esai. 9.*

QUVM autem vniuscuiusque ferè regni terrestres, prudētissimi quique viri principes, ducēsque, & summates, in ortu futuri regis sui, publico iudicio aliquo, compositè, & quàm possunt circumspectè contestentur gaudia: exultentque puerum esse natum,

d. ij.

qui sit moderaturus totius regni habenas. Quum primores atque magistratus, ornatu vario, solito nitidius occurrere satagant, infanti recens nato, qui regni sceptrum sit accepturus: quumque id faciant, vt argumentum sui amoris, in natum principem palam præbeāt: Et vt præmiolū fortè aliquod terrenum aliquando accipiant: nihil minus quàm immortalitatis, & æternæ vitæ stipendium. Quum denique in Ioannis Baptista Christi præcursoris natiuitate, iuxta Euangelium, multi gauisuri erant: quanto magis, nos omnes, de æterni Regis, Christi Iesu Natiuitate cōgaudere debeamus? Ac puerum, Christum Dominum, Regem omnium Regum, & eiusdem Natiuitatem colere, ac venerari tenemur? Qui nos, non præmij pereuntis subministratio: sed cælestis imperij dignitate perpetua, pro solitudine nostra, atque amore, præmiabitur? At quàm non temporalis porrò, sed cælestis magis, & sempiterna futura sit amoris nostri, & obsequij in eum remuneratio, denarrat Apostolus quum ait: Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit, Deus, iis qui diligunt eum. Cæterum quibus verbis hunc diem, congruè excipiamus: Et æterni Regis nostri Natalem exornemus, haud facilè inuenio. Nam ad tanti principis Natiuitatem prædicandam, humana eloquia non plenè sufficiunt.

Luc. 1.  
Corint. 2.  
Cælius secundus Curio.

*En redit illa dies (inquit ille) inter celeberrima fastos,  
Qua virgo nobis edidit alma Deum.*

*En redit illa dies, albo numeranda lapillo,*

*Qua primùm est nobis calica parta salus.*

*Hic puer antiqui serpentis colla subacta,*

*Præsit humi, vt quondam dixerat ipse Deus.*

Adest gratiosa Natiuitas illa Christi vnigeniti, per  
feruos suos Prophetas, lōgè antè promissa: Et desi-  
deriis feruentissimis clamoribúsq; patrū desiderata.

*Hic est quem cuncti signarunt carmine Vates,*

Idē Curio.

*Qui pacis sancta ferret Euangelium.*

*Qui Graias vrbes, qui dites thure Sabeos,*

*Indos atque Afros in sua iura dāret.*

Adest, inquam, Natiuitas per prophetas promissa:

Sed in primis succurrit Esaias dicens: Ecce, virgo Esa. 7.

concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius  
Emmanuel, quod interpretatur, nobiscum Deus.

Et: Egredietur virga de radice Iesse: & flos de ra- Esa. 11.

dice eius ascendet: Et requiescet super eum spiritus  
Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus  
consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis.

Et replebit eum spiritus timoris Domini. Id quod

Hieremias quoque non subticuit, dum ait: Ecce, Hier. 23.

dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo Dauid  
germen iustum: & regnabit Rex, & sapiens erit:

& faciet iudicium & iustitiam in terra. Abac. 2.

Abacuc de-  
nique principis nostri Natiuitatē pręnunciāns cla-  
mat: Quia adhuc visus procul, & apparebit in fi-  
nem, & non mentietur. si moram fecerit, expecta  
illum: quia veniens veniet, & non tardabit. Ex-

d. iij.

Esaï. 45.

Esaï. 64.

Exod. 4.

Psal. 79.

Luc. 2.

pectata autem Natiuitas, atque summè à cunctis patribus veteris testamenti desiderata, eodè Esaia vociferante, Rorate cæli desuper, & nubes pluant Iustum:aperiatur terra,& germinet Saluatorem. Et: Vtinam dirumperes cælos, & descenderes: à facie tua, montes defluerēt. Moyses quoque orat dicens: Obsecro Domine, mitte què missurus es. Psalmo-graphus denique decantat: Qui sedes super cherubin, manifestare. Nimis longum foret, & superuacaneum plura Prophetarum vaticinia, ad hanc rem faciētia, iam recensere atque enumerare. Adest Natiuitas inclita, solennitas magna, in qua gratias, & laudes visitatori suo, vnigenito Dei filio, per totum terrarum orbem canit mater Ecclesia, quod plæbem suam, Dominus Deus nouo modo inuifere, & eam à longa nimis, & miserabili seruitute, desperationi proxima, eruere dignatus sit. Dies iste sacer, sacri puerperij conscius, nouis fulgoribus principis nostri Iesu Christi Natiuitatem testantibus, illustratur. Gaudio gestiunt hoc die in cælis superi: pax in terra hominibus bonę voluntatis, multitudine militiæ cælestis annunciante, confirmatur. Adsunt Angeli: loquuntur pastori- bus: Non dedignantur cælestes spiritus, pastori- bus humilibus colloquia cælestia communicare. Cælestes, inquam, spiritus, quum ipsi cælestes & sublimes sint, infimos tamen homines iam non aspernantur. Non enim visum est satis Deo patri,

archana cælestia solis superis referari: & tanti regis, filij sui vnigeniti Natiuitatem, superos solos cognoscere: Sed ipse princeps regum terræ, qui puer Apoc. 1. hodie natus est, simul cum eodem patre & spiritu sancto, voluit ortum suum, hominibus bonæ volū- tatis innotescere. Et multiplicatis testibus, Angelis & hominibus, certa præsentia suæ indicia atque argumenta voluit dare: vt qui iam diu expectatus, atque desideratus, amplius non expectaretur, quasi venturus: Sed vt qui iam venit, oculis expositus mortalibus, videretur, manibus tractaretur, cæteris sensibus sentiretur. Itaque non vnus nuncius, sed multitudo militiæ cælestis gratulabūda principem mundi hodie natum esse, pastoribus annunciat, dicente Luca Euangelista: Et subitò facta est cum Luc. 2. Angelo, multitudo militiæ cælestis laudātis Deum, & dicentis: Gloria in altissimis Deo: Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Vnius siquidem tantum Angeli voce sua, Natiuitatis nouæ sacramentum edocentis, ne parua videretur authoritas, quandoquidem in rebus arduis, vox vnus, vox nullius censenda est: mox multitudo cælestis militiæ, in laudem creatoris prorumpit, vt & Christo totius mundi principi nato, deuotionem impendat: Et nos quoque hoc exemplo instruat, quoties fideles, & prudentes diuini Verbi dispensatores, sacrae cō- cionis, eruditionisve, quæ ad animæ salutem faciat, verbum intonuerint: vel etiam nos ipsi ea quæ pie-

d. iij.

Simplicitatis, & deuotionis pastoralis commendatio.

Luc. 2.

Gen. 46.

Gen. 4.

tatis sunt, & religionis ad mentem reduxerimus, incunctanter Deo laudes toto corde, ore, & opere referamus. Porrò illud æstimo, silentio non inuoluendum: Pueri principi vniuersorum nato, vt refert idem Euangelista, adest repente pastorum humilitas, atque Deo dicata simplicitas. Nec à sapiētibus & prudētibus testimoniū querit, qui statim paruulis, & quasi vilibus pastoribus sese reuelauit: non autem Scribis, de legis scientia gloriantibus: Non in lectulis eburneis delicatulis molliter stertentibus: Nec mollibus vestitis regibus terræ, principibusve populi: sed pastorum simplicitati, innocentia sociæ, seipsum reuelauit princeps iste. Et pastores, inquit Lucas, erant in regione eadem, vigilantes & custodientes gregem suum: Et pastores loquebatur ad inuicē: Transeamus vsque Bethleem, & videamus hoc Verbum, quod factum est: quod fecit Dominus, & ostendit nobis. Principi Christo, inquam, nato, statim accurrit simplicium pastorum humilitas, atque pia deuotio. Et si legitur in historia sacra, Ægyptios detestari solitos, omnes ouium pastores: huiuscemodi tamen homines Deo imprimis placuisse, ex eadem historia cognoscimus. Abelus enim primorum parentum secūdo genitus, pastor ouium, de primogenitis gregis sui, munera Deo accepta obtulisse, ex sacris literis certum est. Scriptum est enim, Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius, ad Cayn autem, & ad munera eius



non respexit. Abraham autem, Isaac, & Iacob pa- Gen. 46.  
 triarchæ Deo grati, pastores pecorum fuerunt. Io- Gen. 37.  
 seph pascebat gregem cum fratribus suis: & Do- Gen. 41.  
 minus totius Ægypti constitutus est: fuitque Do- Gen. 39.  
 minus cum eo, & erat vir in cunctis prospere agens.  
 Vniuersi fratres Ioseph, in terra Gessen habitantes, Gen. 47.  
 gregum pastores vixerunt. Legislatoꝝ ipse Moyses, Exod. 3.  
 pastor ouium, dum in eremi recessu pecudes sequi-  
 tur, Deum in rubo ardente intuitus est: Et pote-  
 state à Deo accepta, suæ gentis dux factus est. Da- 1. Reg. 16.  
 uid Deo dilectus, de gregibus ouium suscipitur, &  
 in regni solium vocante Deo collocatur. Nunc  
 verò ante alios, principis & pastoris optimi Nati-  
 uitas, ab Angelo pastoribus annunciatuꝝ: Et ab eis  
 princeps & pastor inuenitur: Non autem à nobi-  
 libus potentibus huius mundi, vti paulò antè  
 commemorauimus, aut inuestigatur, aut inuenitur.  
 Quæritur autem festinanter à pastoribus vigilan-  
 tibus, & inuenitur princeps noster. Et venerunt,  
 inquit Lucas, pastores festinantes, & inuenerunt Luc. 2.  
 Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepio.  
 Reperiuntur & ab eisdem, Bethleem Iudee ciuitas parua,  
 domus paupercula, suppellex exigua, pauper mater,  
 paruulus pauper, inops hospicium. Ecquid, rogo,  
 in his omnibus, huic mundo conforme, hoc est,  
 superbum, sublime, aut fastu tumens existimari,  
 censerique potest? Quid, non magis summæ humi-  
 litatis, & mansuetudinis exemplum, & quasi regu-  
 e. j.

lam abiectionis redolēs, Christianis omnibus probandam, sequendam, imitandam? Princeps autem iste, quum natura sua esset altissimus, & omnia, non solum quæ sunt, sed quæ aut nominari, aut cogitari etiam possunt, dignitate superaret: tamen factus homo, ne minimam quidem dignitatem, sibi vendicare voluit.

Ioan. Mott. *Spreuit opes, thalamos Regum contempfit eburnos,  
Nec tulit Assyrio membra reuineta sago.  
Non fuit indomito laudis correptus amore,  
Iudæi spreuit regia scepra soli.*

Esa. 9. Hinc est autem quod decantat Esaias: Paruulus enim natus est nobis: & filius datus est nobis. Dominum ergo dominantium, paruulum factum, & in præsepio vagientem, humillimę conditionis homines, pecorum pastores inuenerunt, & inuentum cognouerunt, ac ante alios, confitentes Deum, simpliciter in spiritu & veritate quem cognouerunt, adorarunt. Scribitur enim: Videntes autem, cognouerunt de Verbo quod dictum erat illis, de puero hoc. Et reuersi sunt pastores, glorificantes & laudantes Deum, in omnibus quæ audierant & viderant. Non autem oculis tantum, auribusue corporis, sed & spiritus cordisque oculis atque auribus. Idem enim spiritus, qui longe ante per Prophetas, de principis huius Natiuitate loquutus est, ipsorum intellectus ac mentis angustias, supra naturam illustrabat, vt ea intelligerent, quæ humanus sensus

Luc. 2.

solus nunquam attigisset. Nam scriptum est: *Clari- Luc. 2.*  
 ritas Dei circumfulsit illos, id est, lux diuinitus missa  
 est, quæ illos idoneos redderet, ad recipiendam  
 illuminationē internā, de æterni principis Christi  
 Domini Natiuitate. Consimili quoque ratione  
 ac modo, Natiuitatis Christi testes iam sunt pasto-  
 res isti, quo postea, prædicationi atque vitæ, Apo-  
 stoli piscatores testimonium præbuerunt, vtrique *Act. 4.*  
 scilicet illiterati, & simplices, nec fallere docti. Sed,  
 vt finiam, infantulus nobis natus est, & filius da-  
 tus est nobis, cuius nomē, magni consilij Angelus, *Esaï. 9.*  
 Deus, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis. Par-  
 uulus autem iste, ex diuinitate nobis datus est,  
 ex virginitate verò nobis natus est. Natus, qui sen-  
 tiret occasum: datus, qui nesciret exortum. Natus,  
 qui matre esset iunior: datus, quo nec pater esset  
 senior. Natus, qui moreretur: datus ex quo vita na-  
 sceretur. Natus, trigintatres annos nobiscum vi-  
 cturus, pro nobis crucifigendus: pro nobis mori-  
 turus: pro nobis sepelliendus: ad inferos descen-  
 surus: pro nobis resurrecturus: ad cælos ascensurus:  
 pro nobis patrem oraturus, & cæleste regnum no-  
 bis daturus. Natus denique in vsus nostros, totus  
 exponendus. In summa: Natus est nobis princeps,  
 cuius natiuitas, tanti gaudij & exultationis argu-  
 mentum præbet, vt ab homine non dicam enar-  
 rari, sed nec cogitari quidem possit. Siquidem non  
 vnus tantum, aut duorum hominum salus: Nec

vnus regionis, regniue populi: sed vniuersorum  
 regnorum, gaudium æternum annunciat: Et  
 vniuersis hominibus, natalis æternæ vitæ illuxisse  
 Angelus testatur. Cæterum, si tam ingens gaudiũ,  
 & Angelis, & hominibus erat, vagientem in præ-  
 sepio paruulum istum conspici: Quale demum  
 erit gaudium, quantaque lætitia atque fœlicitas,  
 eum in cælo triumphantem, sedentemque ad dex-  
 teram maiestatis in excelsis intueri, ipsi mecum  
 cogitate. Agite igitur, fratres, paruulo illi, principi  
 nostro, redemptoriquæ veste splendida, & ea tri-  
 plici, fide, spe, & charitate exornati, alacriter oc-  
 curramus. Qui pro nobis, quamuis vniuersorum  
 Dominus & Deus esset, sese tamen exinaniuit, for-  
 mam nostram accipiens. Qui & pro nobis paruulus  
 natus est, vt nos magnos efficeret: homo pro no-  
 bis natus est, vt nos Deos constitueret: pro nobis  
 denique mortuus est, vt nos æternum viueremus.  
 Paruulum nostrum, Christum Dominum, ex vir-  
 gine matre hodie natum, fide firma suscipiamus;  
 spe optima nutriamus, charitate denique portemus:  
 vt tandem cum eodem paruulo, principe & rege  
 nostro, in cælestibus pariter regnare valeamus.

Phil. 2.

DE APPARITIONE DOMINI  
 NOSTRI IESV CHRISTI TRI-  
 bus Magis : Concio Capitularis.

THEMA.

*Vidimus enim stellam eius in Oriente, &  
 venimus adorare eum.*

*Matth. 2.*



IDEOR videre nonnullos veſtrûm, fra-  
 tres, ſubito aſpectu admirari, cur huc  
 modo conſcenderim ego (iudicatur for-  
 taſſe à nonnullis, quibus res ſatis perſpe-  
 cta nondum eſt, iuuenilis quædam inſolentia) quum  
 cõciuncula iſta mea, nullis verborum phalaris per  
 aſſiduitatem, longumue concionandi uſum exor-  
 nata eſſe queat. Quumque modò adſint nõ pauci,  
 tum multiuga meliorum literarũ cognitione præ-  
 diti, tum concionando non modicè exercitati: qui  
 & huic oneri humeros ſubiicere ſuos admoniti nõ  
 recuſarent. Proinde ſi qui fortè ſint, hanc noſtram  
 homiliam inſperatam iam admirantes : Ne rem  
 ignorent, ſed eam, & paucis, & propius intelligant:  
 vela permittere ventis (vt quũ Quintiliano loquar)  
 per obedientiam nos perſuaſos eſſe ſciant. Porrò,  
 quum concionatoris ſit, ſub concionis ſuę initium,  
 ſumma ope niti, vt attentos, dociles, atque bene-  
 uolos auditores dicendo reddat. Nec iſthoc qui-  
 e. iij.

Quintilia.

Matth. 2.

dem, à me accuratè satis, præstari posse, ingenuè fateor: verum non ignarus, quàm non surda aure, audire soletis sacrum Christi Euangelium: Confido hoc ipsum, à cælesti præcone, Euangelista Matthæo iam præstitum, quum auribus vestris præconio hoc intonuit dicens: Vidimus enim stellã eius in Oriëte: Et venimus adorare eum. Caterum, quononihil de hodierna festiuitate pro huius loci more, & ista ætatula mea, depromere valeam: rogo vos, fratres, mecū pueri illius, cuius stellam in Oriente viderunt Magi, ac eius matris illibatæ auxiliū suppliciter imploretis, dicentes Aue gratia plena.

### DE APPARITIONE DOMINI

NOSTRI IESV CHRISTI TRIBUS Magis: Concio Capitularis.

THEMA.

*Vidimus enim stellam eius in Oriente: & venimus adorare eum.*

*Matth. 2.*

**I**N historiis variis, annalibusque lectitamus, fratres, nouis huius mundi principibus, veteranos congratulari solitos: siue amore, siue timore, siue necessitate denique id fecerint: partim suo occurrus, partim verò legatione: idque cum muneribus plerunque, aut fidei obsedibus, aut simul vtrisque. Cuiusqui-

dem rei testimonium non obscurum, etiam sacra  
 sapiusculè nobis obiicit historia. Sed in primis  
 mihi succurrit, quum denarrat Hirã Regem Tyri, <sup>3. Reg. 5.</sup>  
 seruos suos ad Salomonem misisse: audiuit enim  
 Hiram quòd ipsum vnixissent Regem super Israël  
 pro patre eius Dauid: Amicus enim erat Hirã Da-  
 uid omni tempore. Regem quoque Babylonis, E- <sup>4. Reg. 20.</sup>  
 zechię Regi Israël, nuntios misisse: Et eos quidem  
 gratulabundos, muneráque offerentes, quòd is ab  
 exitiali morbo reuixisset, quasi postliminio, & vitæ  
 reuocatus & regno. In Apostolorum quoque acti- <sup>Act. 25.</sup>  
 bus, Regem Agrippam cum vxore sua Bernice le-  
 gimus Cæsariam, salutandi gratia Portium Festum  
 proconsulem Romanum venisse. Possem testimo-  
 nia multo plura, ad hanc rem facientia, adducere,  
 si ex historiis prophanis, exemplorum syluam huc  
 vellem modo accumulare atque congerere. Sed  
 concio nostra capitularis, non vaga nimis, sed suis  
 limitibus contenta esse debet. Itaque ne à propo-  
 sito longius euagemur: profectio illa, cuius me-  
 minit Euangelista Matthæus, in Christi Domini <sup>Matth. 2.</sup>  
 apparitione ( hoc enim significat *ἑπιφάνεια* ) trium  
 Magorum Orientalium, Bethleem vsque, stella  
 duce ad infantem recens natum, paruulúmque in  
 extremæ paupertatis & miserix speciem deiectum,  
 adorandi, muneribúsq; symbolicis demerédi gra-  
 tia: de qua hodie, per totum terrarum orbem canit  
 sancta mater Ecclesia. Illa, inquam, peregrinatio,  
 e. iiij.

Ioan. 2.  
Matth. 3.  
Matth. 2.

Stella Magos conducente, omnem admirationis humanae stuporem superare posse videtur. Tres autem apparitiones Saluatoris nostri legimus, vna quidem die, sed non vno tempore aut anno factas. Est quidem mirabilis secunda: mirabilis est & tertia: sed prima apparitio, mirabilius admiranda. Mirabilis aquarum in vinum mutatio: mirabilis Ioannis & columbae, pariter & paternae vocis attestatio: sed illud admirabile magis, quod stella monstrante, agnitus est à Magis. quod & hoc carmine quidam cōcinnè satis expressit dicens,

Caelius fecit  
dus Curio.

*Stella facem ducens, treis natum praevia reges  
Duxit ab Eoo, visere clara Deum.*

Matth. 2.

Stupendum, inquam, videri potest multis, hoc inusitati astri portentum: nempe quod praeter aliorum siderum naturam, motus & status fuerit particeps. dum enim se Magis ipsis ducem praebet, mouetur: & stat, dum Magis ostendit locum, sicut scriptum est: Et ecce, stella quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniens, staret supra ubi erat puer. Apparuit autem stella illa, vti astruunt sacras literas edocti, tanta claritate, & noctu, & die, citra occasum, ab aliis distincta, ut non possent Magi dubitare eam maximi regis cuiuspiam ortum subsignificare. Neque enim de numero illarum erat vna, quae ab initio creatae fuerunt: sed ad Christi, summi Regis Natiuitatem demonstrandam esse coepit, & perfuncto suo ministerio, iterum



esse desiit. Verum hoc non tam mirandum, quàm diuinum numen collaudendū. An mirandum, si illud fecerit Dominus, qui facit cælos, & terras, & omnia quæ in eis sunt, sibi inseruire? qui & numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat? Cuius sapientiæ & potentia non est numerus. Decebat enim, vt in eius Natiuitate, qui astris omnibus dominatur, astrum vnum nouo modo, atque ratione ei accommodaretur. Magi ergo, ab Oriente venerunt, stella duce, ortum solem iusticiæ requirentes: Eum, de quo apud Zachariã legitur: Ecce vir: Oriens nomẽ eius. Apparuit (secundū Matthei Euangelium) hodie Christus, nouus virginis partus Magis illis, nouæ & Christianæ fidei archetypis, primisque gentilibus in ipsum credentibus. Nobis quoque in eis apparuit benignitas illa, & humanitas Saluatoris nostri Dei: vt & nos pariter in ipsum credentes, eum ipsum cum Magis, per fidem & deuotionem exquiramus: & munera grata, & boni odoris ei offeramus: hoc est, vt sobriè, iustè, & piè viuentes: eius voluntatem operibus bonis, indefesso labore sectemur: Et his quæ sunt carnis, & huius mundi abrenunciantes, liberè ei seruiamus, in iusticia & sanctitate, omnibus diebus nostris. A tribus illis sapientibus (sic enim eos appellat Chrysostomus) & si paruulus in cunis vagiens, sapientia tamen Dei patris, Christus Iesus, ab Oriente Bethleem vsque, longo terrarum

Psal. 145.

Psal. 146.

Zach. 6.

Matth. 2.

Tit. 3.

Tit. 2.

Luc. 14.

Luc. 1.

In Cap. 2.

Matth.

1. Corin. 1.

tractu, inuestigatur, inuenitúrque, Non autem in huius mundi regum, aut principum superba opulentia, aut in aula rege digna, & ad strepitũ regalem apta, vt sese regem, aut principẽ fastu plenum ostentet: Nec in vlllo regum, aut principum statu alio temporaneo: sed algens in loco horroris, & vastæ solitudinis, vilis & squalidi stabuli præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio, nimirum di-  
 Luc. 2. tioribus, & fastu plenis, à quibus maior quæstus sperabatur, à Pandocheo reseruato, vt de eo cecinit quidam:

Io. Mott. *Hic fuit in stabulis pannoso cinctus amictu,  
 Nec dedit Attalicis membra sacrata thoris.*

Mich. 5. Idque in Bethleem Iudæ, iuxta Michæam Prophetam præcinentem: Et tu Bethleem Ephrata, paruula es in millibus Iuda: Ex te enim mihi egredietur, qui sit dominator in Israël: Et egressus eius à principio, à diebus æternitatis. Paruulum ergo in præsepio, pannis inuolutum, quem tantopere inquirebant Magi, humiliter & demisse, inuentum  
 Matth. 2. adorarunt: Et apertis thesauris suis, ei munera, iuxta Euangelium obtulerunt: aurum, thus, & myrrham. Aurum autem, regis potentiam & dignitatem: thus verò sacerdotium: myrrha denique sepulturam dominicam, mysticè subsignificare existimantur: vt perpulchrè hoc carmine depinxit quidam.

Cælius Cu- *Ergo solliciti puerum iam quærere pergunt,  
 rio. Trinæque pro trino numine dona ferunt.*

*Hic myrrham properat, fert alter thura Sabaa,*

*Alter Phisontis munera fulua gerit.*

*Aurum Rex poscit, sed gaudet thure sacerdos,*

*In myrrha Christus membra sepulta locat.*

Si cui tamen munus illud trinum, sacrae triadi assignare libeat, non absurdè fortasse adeò, sed germanè potius dixerit: In auro, Patrem adoratum credens: in thure Filium: in myrrha verò, Spiritum sanctum. Ecquid tale ipsos Magos apud Herodem Regem, fastu luxúque turgentem, Ierosolymis turrita regia effecisse legimus? Nihil profus. Imo verò Herodem (licet stipulati) & Regem, & valde ambitiosum, reuisere minimè dignantur: sed reuerentes, iusto sanctóque contemptu, insalutatum relinquunt, & illudunt: Nam per aliã viam, Mattheo Euangelista teste, reuersi sunt in regionem suam. Beatos valde sapientes illos, quorum oculi viderunt Christum natum, quem multi iusti & Prophetæ, summo desiderio vt viderent, exarserunt, nec tamen eis est concessum. Sed ne fortè concio nimis longa, missarum solennia celebraturis, fastidium pariat, híc finem dicendi faciam: si tamen paucula addidero. Nos itaque, fratres, Christum natum in Bethleem, domo panis aeternæ vitæ, quæ sancta mater Ecclesia est, vna cum Magis diligenter inquiramus: & inuentum adoremus: tria quoque munera, ei alacriter offeramus: poenitentiam, confessionem, & carnis mortificationem.

f. ij.

Matth. 2.

Matth. 13.



Interea, eum diligamus vt verè hominẽ & fratrem nostrum, honoremus vt Dei filium, veneremur demisse, vt verum Deum. Securi credamus in eum, cui nec potestas deest saluandi nos, quum fit verus Deus, habens potestatẽ omnẽ in cælo & in terra: *Matt. 28.* Nec bona voluntas, volens omnes homines saluos fieri. Ad hoc enim apparuit mundo, vt peccatores saluos faceret: venit in mundũ, inquam, vt mẽtem, & amorem nostrum integrum à mundo, & ab his rebus, quæ in mundo sunt, omnibus abducamus: ac in illum mentis aciem, & amorem intimum semper dirigamus: vt in die iudicij, fœlices & læti, ab ipso demum audiamus: Venite benedicti patris mei: possidete paratum vobis regnum à primordio mũdi, quod nobis & Christianis omnibus ipse præstare dignetur, qui regnat trinus & vnus. *Matth. 25.*

DE PURIFICATIONE BEATISSIMÆ VIRGINIS Mariæ:  
Concio Capitularis.

THEMA.

*Suscepimus Deus misericordiam tuam,  
in medio templi tui.*

*Psal. 47.*



HI persuasi, neminem vestrũ admiratione duci posse, fratres, si ego propriæ imbecillitatis cõsciũs, multum verear, suggestum isthoc modo conscendens: tum de nostræ creationis, & redemptio-

nis mysterio: tum de virginis matris laudibus verba  
 facturus. Pauculos certè iam dies, ego huiusce  
 negotij magnitudinem, paulo altius mente conci-  
 piens (id quod hominibus euenire solet, quorum  
 vires rei susceptæ agrè sufficiunt) animum ferè  
 despondebam: non parum metuens, ne oneri suc-  
 cumberent ingenioli vires. Animū siquidē meum  
 non parum deterruit, tum totius rei magnitudo,  
 sed in primis tantæ solennitatis grauitas: ita vt non  
 satis mihi constaret, vnde potissimum exordium  
 dicendi esset sumendum. Si autem illorum dicta  
 recitauero, qui ante me rem eandem apposite, &  
 eleganter ex hoc loco pertractarūt (sic tacitus me-  
 cum cogitabam) actum, velle agere, iudicabor.  
 Quum ea omnia, iam vobis tā cognita sint, quàm  
 quæ maximè sunt perspecta. Iam verò, si rem ip-  
 sam meo Marte exagitare conatus fuero: vereor ne  
 memoria parum firma, labascet: & lingua tandem  
 prorsus facundia destituta, palato fixa hæreat. Nam  
 si mihi suppeterent tot linguæ, quot fingunt Poë-  
 tæ Argum illum oculos habuisse, rethorum etiam  
 instrumentis omnibus ad exornandam concionem  
 instructè: neutiquā tamen ad ea omnia, quæ modo  
 referenda forent, sufficere possent. Sed probè sciēs  
 interim obediētiam, quauis victima potiolem esse, i. Reg. 15.  
 abiecto timore, & facundiæ cura anxia, superiorum  
 meorum iussū nunc capeffo: nihil subinde neque  
 magni, neque noui promittens: sed magis cum  
 f. iij.

Ruth Moabitide, in agro illius prædiuitis Booz Bethleemitici, post terga metentium spicas colligente: fasciculi aliquantulum, ex variorum scriptorum messe literaria collectum, in conspectum vestrum afferens. Quod, vt facilius assequamur: Rogo vos, fratres, vna mecum Matrem illam inuocetis, quam trepidant herebi sedes: Cui terra, fretumque encomia dicunt: quo hanc nostram conciunculam animet, & sua prece, apud filium suum Christum Dominum, ac caelestem patrem, sancti spiritus gratiam, nobis impetret, dicentes: Ave gratia plena.

DE PURIFICATIONE BEATISSIMÆ VIRGINIS Mariæ:  
Concio Capitularis.

THEMA.

*Suscepimus Deus misericordiam tuam,  
in medio templi tui.*

*Psal. 47.*

**D**EVM Optimum Maximum, humani generis primos parentes, sapientia sua inscrutabili procreasse: procreatos verò, gratia multiplici dotasse: dotatos, in manu sui consilij reliquisse: vt ipsi, sibi aut ad vitam, aut ad mortem authores essent: qui, quantum non peccarent, inter cætera beneficia, in eos

gratuitò collata: vt etiam immortales viuerent atque vigerent, sacra refert historia. Quæ quidẽ gratia, ac dote varia donati, possent fœlices, & læti, in supremi regis hospitium peruenire. Verùm non ita multo pòst, quum vetitas fruges degustassent, videris decepti dolis: maledictionem pro benedictione, immunditiam pro puritate, mortalitatem pro immortalitate, præuaricationis suæ mercedem, & sibi, & suis posteris, eadem historia referente, reportarunt. Eua autem prima mater, fallaciis serpentis succumbens, suo coniugi fructum vetitum, infœliciter decepta, degustandum præsentauit. Cuius esu mortales omnes, dote illa spoliati, & Sathanae imperio irretiti fuerunt: Et tam multis demum, & variis calamitatibus, humanum genus est implicatum, atque inuolutum, vt nullo modo, humana ope, à tantis malis eripi atque liberari posset: vt quidem non minus Christianè, quàm concinnè descripsit, dicens:

*At prius astutis elusa est fœmina verbis  
Hostis, & umbrarum credidit illa duci.  
Vnde peregrinis inopes vexamur in agris,  
Et tristi premitur pendula vita iugo.  
Tartarei amplexus populos Dominator auerni,  
Hos fecit gelidæ mortis adire vias.*

Io. Mott.

Verùm beneuolus ille, ac benignus rerũ omnium procreator Deus, hominem plasma suum excelsi.

f. iiij.

lentissimū amore summo profecutus, quum tempus iam adesset gratiæ & miserationis, tempus acceptabile, & dies salutis, filium suum vnigenitum è summo cælo, in terram nostram, carne humana in virginis utero vestiendum delegauit: vt genus humanum vniuersum, misericordiam eius suscepturū, ope diuina (quum ars humana nihil posset) à tantis malis eriperet atque vindicaret. Ac demum demolita serpentis illius procacitate, genus nostrū vi ereptum, in Ierusalem cælestē mirabiliter secum eueheret atque trāsportaret. Quem quidem filium, carne nostra induendum, & à virgine matre, in templo domini præsentandum, in spiritu intuens regius psaltes, rem tanquam iam factam, quam proximè faciendam cognouerat, quasi oculis præsentem depingens, in hanc vocem prorupit dicēs: Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui. Itaque virgo mater præelecta, post aliquot dies à lege præscriptos, fructum vitæ benedictum, secundum legis antiquæ ritum hodie in tēplo Domini obtulisse catholice credimus & fatemur. Mira sanè erga nos Dei clementia, & charitas, qua nos tantopere dilexit: Qui, quū Dominus & Deus esset, nunquam deserens id quod erat, humanam carnē ex virgine matre suscipere, non est dedignatus. Et per omnia, legi se coaptans, secundum legis ipsius decretum, in templi, suæ domus sanctissimæ medio, se palam afferri voluit. Idque per vir-

Psal. 47.

Leui. 12.

Luc. 2.



ginem matrem, & sanctum Ioseph fieri, minime Luc. 2.  
 recusauit. Qui quum ab omni peccati forde, & cul-  
 pę macula immunis esset, nempe Spiritus sancti Matth. 1.  
 virtute conceptus, atque ex virgine matre imma-  
 culata puer natus: nullo prorsus indiguit munere Esa. 9.  
 gratiæ renascentis. Vtriusque tamen purificationis  
 genus subire volens, octauo die natiuitatis, ad cir- Luc. 2.  
 cuncisionem est perlatus: Et purificationis, hoc est,  
 quadregesimo à natiuitate eius die, seipsum munus,  
 ipse templi Dominus, & sacerdos secundum or- Psal. 109.  
 dinem Melchisedec suo nomine offerri voluit.  
 Magnum salutis nostrę mysteriũ! immensam om-  
 niũ plasmatoris humilitatem! Æterni patris æter-  
 nus filius, nulla peccati contagione, aut criminis  
 labe fædus, tanquam ex plebeo numero vnus,  
 quasi à forde purificãdus, templum Ierosolymita-  
 num hodie ascendere voluit. Quem Symeon vir Luc. 2.  
 iustus & timoratus, vtrisque vlnis suauiter ample-  
 xans, atque pectori astringens, in voce exultatio-  
 nis & confessionis exclamans, ait: Nunc dimittis Luc. 2.  
 seruum tuum Domine, secundum verbum tuum  
 in pace: Quia viderunt oculi mei salutare tuum:  
 Lumen quod parasti ante faciem omnium popu-  
 lorum. Ac si in laudem eiusdem luminis, quod pa-  
 rauit Deus, in carnis humanę lucernula recondi-  
 tum, ante faciem omnium populorum: simul &  
 virginis matris, quam Prophetę, per Spiritum san-  
 ctum edocti, prædixerant lumen illud, humano ge-

neri olim allaturam, ad totam Ecclesiam acclamar-  
 maret: Latetur modò mons Syon: latetur Ierusa-  
 lem: exultent & latentur cunctæ animæ fideles:  
 Maria virgo purissima, purissimum vobis offert lu-  
 men, Iesum Christum patris filium, vestris oculis  
 inspiciendum, manibus vestris contrectandum. Et  
 quem multis seculis, non solum reges, & iusti: sed  
 & Prophetæ quoque Spiritu sancto pleni, summo  
 ardore & desiderio, vt viderent, exarserunt, nec ta-  
 men illis est permissum. Sed hoc cunctipotētis Dei,  
 erga humanum genus misericordiæ atque clemen-  
 tiæ primum: Deinde matris Mariæ meritis acceptū  
 ferte: quæ apud Patrem æternum, tantam inue-  
 nerit gratiam, vt mereretur clarum lumen, Chri-  
 stum Dominum patris filium vobis genuisse, ac in  
 templo, hominem factum, palam obtulisse. Sed  
 ô donum permagnificum, magnum beneficium,  
 munus singulare! Ecquid nos tibi virgo mater, re-  
 feremus pro munere tanto? Tu enim virgo fœlix,  
 lumen illud splendidum, reuelationem gentium,  
 Spiritu sancto obumbrante concepisti, peperisti: Et  
 idem lumen hodierno die, in templo Domini ob-  
 tulisti. Quod lumen æterni patris splendorem nos  
 mente intuentes, toti gaudio perfusi, cum psal-  
 mographo exclamare possumus: Suscepimus Deus  
 tuam misericordiam, in medio templi tui. Fœlices  
 multum à regina Saba iudicati sunt serui illi Salo-  
 monis, qui audire sapientiam eiusdem potuerunt.

Matth. 13.

Luc. 1.

Luc. 2.

Psal. 49.

3. Reg. 10.

Fœlix Esther credita est, quæ coram Assuero rege, Esther. 2.  
 homine mortali, gratiam inuenerit. At quanto  
 fœlicior tu virgo mater, quæ tantam gratiam  
 apud Deum patrem inieris, vt eius virtutem & sa- i. Corin. r.  
 pientiam, cooperante Spiritu sancto, concipere, Luc. i.  
 parere, atque toti mundo offerre merueris? Nos  
 igitur te beatam, virgo mater immaculata, te fœ-  
 licem, te inter omnes mulieres benedictã, ac omni  
 virtute ex alto cumulatam, cum archangelo Ga- Luc. i.  
 briele, velint nolint, mente reproba hæretici, re-  
 centis doctrinæ fascino colligati, semper credimus,  
 & coram omnibus viuentibus semper & confite-  
 bimur & credemus. Decebat enim eam, benedi-  
 ctione cœlesti plenam, ac gratia diuina, supra om-  
 nes creaturas adimpletã esse, quæ germen illud ge-  
 nerosum & supercœleste, toti mundo fœliciter esset  
 paritura. At tu, virgo mater, virga es ipsa de radice Efai. ii.  
 Iesse, quæ Domino dante benignitatem, fructum Pfal. 84.  
 illum terræ sublimem, nobis omnibus germinasti: Efai. 4.  
 Et eũdem cunctis populis, in templo Domini ob-  
 tulisti. quo fructu ineffabili, nobis frui largiatur is,  
 qui & fructus est, & qui sine fine viuit & regnat  
 per infinita seculorum secula Deus.

## DE SANCTO BENE-

DICTO ABBATE:

Concio Capitularis.

T H E M A.

*Ecce, nos reliquimus omnia:**& secuti sumus te.**Matth. 19.*

**P**RISCIS mos fuit, fratres, illustres viros, heroasque & bene de Republica meritos, mortali vita iam defunctos, & eorum egregia facta, encomiis quibusdam celebrare. Priscos, dico, ipsos sibi persuadentes, hac via potissimum, illorum similes multos futuros: Et impigrè maiorum benefacta imitatu-ros, solenni commendatione audita. Ego quoque priscorum cōsuetudini in hoc (si minimis magna componere licet) memet pro viriculis accōmodans, herois vnius, legillatoris nostri Benedicti, egregiè facta ac laudes, aliqua ex parte depromere contendam. Non tamen id, vt vos tam incitem, qui bene iam curritis, quàm vt mihi pigello, ad tantæ virtutis viri imitationem aliquam, calcar addam. At enim tam magnæ sunt herois istius virtutes, vt eas vix mente concipere queam, tantum abest, vt eas omnes verbis aptis enarrare valeam. Vnde fit, vt non parum verear, ne pondere laudum, quas

meruit, obrutus: magis imbecillitatem ingenij detegam, quàm eas, sicut par est, vobis representem. Cur autem quod verum est, non fatear? ego certè ingenuum esse, semper arbitratus sum, hominem id de se palàm fateri, quod alioqui, seipso ore quidè supprimente, conscientia ipsa optimus testis celare nequiuerit. Ceterū videre videor vestrū omnium humanitatē mihi fauere: in hoc autē memet valde consolor: Et eo quoque libentius onus susceptū aggrediar, vbi virginem matrē omnes pariter salutaue-  
rimus, eulogiū angelicū offerētes, Aue gratia plena.

DE SANCTO BENE-

DICTO ABBATE:

Concio Capitularis.

THEMA.

*Ecce, nos reliquimus omnia:*

*& secuti sumus te.*

*Matth. 19.*

**B**EATISSIMVS igitur legislator noster Benedictus, fratres, liberiori genere secundum carnem, vt frequentius dum legeretur ad imitationem & exemplum, eius vita sanctissima, audistis: in Nurtiæ prouincia natus est. Qui vbi è pueris excessit, parentū optimorum cura, vrbem Romam, gymnasium literarum tunc temporis, si quod erat aliud, celeberr-  
g. iij.

Matth. 19.

rimum, erudiendus transmissus est. Postquam verò  
 adolescens factus: & bonarum literarum eruditio-  
 ne celeriter & accuratè, ob acumen ingenij, ac Dei  
 gratia adiutante, imbutus est: ostendentibus sese, &  
 quasi vndique arridentibus variis huius mundi pro-  
 speritatibus: rerum paternarum, atque adeo, re-  
 rum omnium humanarum posthabita cura, qua, vt  
 plurimum impediri diuinarum cõtemplatio solet:  
 soli Deo placere desiderans: Deo se, ac rerum di-  
 uinarum contemplationi deuouit: memor Euan-  
 gelici illius: Omnis qui reliquerit domum, vel fra-  
 tres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxo-  
 rem, aut filios, aut agros propter nomen meum:  
 centuplum accipiet, & æternam vitam possidebit.  
 Subinde verò clarè perspexit vnà cum homine vi-  
 ciorum semina nasci: Et inimicam esse animi, om-  
 nem carnis delectationem. Proinde quicquid car-  
 nem cum delectatione nutrire videbat: id properè  
 in adolescentia fugiendum, & meritò, arbitraba-  
 tur. Itaque illico persuasum habuit cunctam glo-  
 riam, ac voluptatum huius mundi illecebras, & ca-  
 duca omnia, vt falsa bona, & nusquam consisten-  
 tia, tanquam improbissimas dominas dedecoris &  
 turpitudinis fugienda: Rerum verò caelestium con-  
 templationem, pietatem, misericordiam, & cæteras  
 animi virtutes, vt vera bona, omni studio sectãda  
 esse. Sic nimirum gratia Benedictum, & nomine,  
 impleuit Dominus spiritu sapientiæ & intellectus,

Cui postmodum daturus erat stolam gloriæ, hoc est vitæ immortalis præmiū. Mundana igitur gloria procul repulsa, & spretis cunctis voluptatū illecebris, Christi militiam secuturus, tanquam veram gloriam, verosque triumphos parituram, iugo domini suavi sumpto religionis, & sanctæ conuersationis habitu, collum submisit. Sub quo, paruo temporis interuallo, tantū profecit, adhibita omni ad imitandum Apostolorum, atque ipsius Christi vitam, cura, studio, diligentia: vt vita ipsa, moribus, sanctitate, miraculis denique Apostolus, teste Gregorio, videri potuerit. Sed & abstinentiæ in primis, atque ieiunij pharmacho, præter alia quibus corpus castigabat, admirandus cognoscitur. Quibus in tantum deditus fuit, vt se in speluncam subobscuram atque arctam tradens, modico pane & aqua contentus, tanquam in affluentibus deliciis, diu hominibus incognitus vixerit: intelligens peccati fomitem, in intimis animi secessibus habitantem, superueniente ieiunij abstinentiæque pharmacho extingui atque enecari: satietatē verò lasciuiæ initium atque matrem esse. Sed & id quoque fecit, quo facilius, securiusque diuinæ sapientiæ studio noctu & diu inuigilaret. At vt fluuius nascens ex montibus plerunque altissimis, in principio quidē scaturiginis suæ, exiguum habens cursum, propter pusillam aquarum deductionem atque deriuationem: postea verò, per continuam vndarum acces-

D. Greg. in  
vita ipsius.

fionem, paulatim sumit incrementum: temporéque non lógo pòst, vsque adeo sæpe coaceruatur atque coalescit, plenis scatebris, vt in flumen euadat vberimum gurgitibus iam redundans profundis. Ita quoque heros noster Benedictus, habens ab ipso pueritiæ suæ primordio, virtutum incunabula: successu temporis, progressúque, instar fluminis inundantis, profluentibus gratiæ Domini increméntis, qui eum præuenit in benedictionibus suæ dulcedinis, erupit in flumen ingens & immensum, nimirum totius sacre religionis ferè primipilus atque princeps tandem factus. Et deinceps totus Deo deditus, cœpit ardentissimè Dei gloriam pandere: docere pietatem, iustitiam, mansuetudinem, patientiam, cæterasque virtutes: Sed omnium maximè mutuam charitatem: memor illius Apostoli:

1. Corint. 13. Si linguis, inquit Apostolus, hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam: factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens: & cætera quæ illic sequuntur. Vulgari tum demum tanti hominis nomen est cœptum, propter insignem vitæ sanctimoniam, & innumera vitæ sanctissimæ indicia, nempe miracula quibus claruit: ita, vt homines eum certatim, tanquam hominem religiosissimum, ac sanctissimum suspexerint, venerati sint, obseruarent. Sed redeamus eo, vnde digressi sumus. Diximus autem eum, curam summam, studium omne, diligentiam omnem, ad imitandum Christi & Apo-



stolorum vitam, ac virtutem adhibuisse. Rem itaque paucis, si vacet, intueamur. Imitatus est certè Apostolos & Christum quoque vita sua Benedictus. Fuerunt autem Apostoli, Christi amore pauperes, inculti, ignobiles, impotentes, abiecti. Nōne sic & heros noster Benedictus, quum diues esset, nobilis, potens: spretis bonis paternis, hæreditate, possessione, honoribus, huius mundi voluptatibus, cæterisque, pro quibus mortales nauigant, sudant, litigāt, belligerantur quoque: & quid non? Amore Christi, Christum imitatus & Apostolos, pauper factus est, ignobilis, impotens, abiectus? In summa, in hac mortali vita positus, ita egit, vt quum hinc migraret: Et caro vermibus cœperet deuorari, anima ornata bonis operibus, cum Angelis lætaretur in cælis. Multa inuitus prætereo, fratres, temporis breuitate modo oppressus. Suadeo itaque (vtinam persuadeam) curemus & nos exemplo Benedicti, qui adhuc in stadio, & theatro huius mundi relictus sumus, nihil magni nobis, in hac mortali vita, ærumnarum & calamitatum plena, promittere. In primis, sit animus ab omnibus terrenis & præsentibus auersus, exemplo herois istius, ne vnquam cogitationum inanium puluere sordescat. Deo autem & cælestibus, vnitus fixusque maneat, cum nostri cordis deligenti custodia, & fructu bonæ conscientia, quæ secunda erit ante tribunal terrificum iusti iudicis Dei: quum vas terreum, corpus hoc no-

strum, dissoluetur, & in cineres redigetur: vt facientes semper voluntatem creatoris, simus & nos quoque Apostolorū imitatores, sed in primis Pauli, ac cum eo veraciter dicamus: **Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur & ego non yror?** in omnibus exhibentes nosmet ipsos sicut Dei ministros in multa patientia, & cætera. Nullum in hac vita laborem recusemus, ne à legislatoris istius institutis & præceptis discedamus, quem tantopere hodie colimus, & quotidie veneramur, ac amamus. Totis viribus operam demus iusticiæ, continentia, pietati, mansuetudini: sed ante omnia, charitati mutua, atque benignitati. Subinde verò, literarum & diuinæ sapientiæ studio animum intendamus, ignorantiam studiosissime vitantes: vt ad ea quæ sursum sunt, perpetuò anhelantes, tandem cæleste regnum promereamur, cum legislatore nostro Benedicto, æternū fœlices victuri: prestante Domino nostro Iesu Christo, æterno Patre, cum Sancto spiritu.

51

DE ANNUNTIATIONE DOMI-  
nica: Concio Capitularis.

THEMA.

*Ecce ancilla Domini, fiat mihi  
secundum verbum tuum.*

Luc. 1.

**H**VIVS nostri sæculi multum infœlicis, neochristiani plerique omnes, concionandi prouinciam arripere, & quasi suo iure sibi eam vendicare solent, fratres: sed eo animo, suoque more, vt hominem aliquem è suggesto, vanis quibusdam fucatísque laudibus, facundiæ viribus quibus possunt, omnibus exertis, tantum non in cælum euehant, suppressis interea prorsus, diuorum omniũ, atque adeo ipsius Christi, matris Mariæ immaculatæ laudibus. Imo verò diuos ipsos, & eorum præcones, virtutumque narratores conuitiis & dicteriis, inter dicendum, crebrius insectantur, ac petulanti lingua palam profcindunt. Cui eorum proposito, hoc meum negotium, tam est dispar, tam multis modis dissonum, quàm ea de quibus vtrique, & nos, & illi agere intendimus, sunt disiuncta, atque inuicem pugnantia. Illi autem hominis alicuius laudem, plerunque immeritam, suis pigmentis fucatísque coloribus, è suggesto, vbi fuci procul abesse debent, illustrare conantur. Mihi verò præcauendum iam censeo ne

h. ij.

Luc. 1.

fusceptam materiam: rem videlicet veram, puram, & planè diuinam, inter alia in hac eadem re summa nimia etiam dictionis exilitate, per infantiam meam depromere inueniar. Siquidem de sacratissimo filij Dei incarnationis mysterio, & virginis matris Mariæ laudibus, modò dicere, ex iniuncto mihi officio incumbit. Quæ tametsi humani sermonis angustiis tam constringi coarctarique nequeant, quàm naturæ totius facultatem superant atque excedunt: eo tamen spiritu, conatibus nostris aspirante, qui hodie eidem virgini obumbravit, suscepto argumento, Etsi non pro eius dignitate, certè pro loci huius capitularis probata consuetudine, satisfacere nitentur, simul ac eam ipsam virginem supplices comprecati fuerimus, quo nobis adsit eiusdè spiritus fauor, dicètes: Aue gratia plena.

DE ANNUNTIATIONE DOMINICA: Concio Capitularis.

T H E M A.

*Ecce ancilla Domini, fiat mihi  
secundum verbum tuum.*

Luc. 1.



V M animo mecum sapius voluo, laudum immèsitatem festiuitatis hodiernæ, fratres, nec vnde exordium sumam, nec vbi finem constituam, inuenio, nimirum in tam immensa atque abstrusa rerum maximarum

copia. Etenim is qui solus omnia nouit antequam  
fiant, in cælo & in terra, incarnationis Dominicæ  
sacrum mysterium, & virginis matris Mariæ laudes  
(tam immensa sunt hæc) virginis, inquam, matris  
laudes omnes, & incarnationis Dominicæ secretū,  
Deus, qui solus omnia nouit, solus plene intueri  
potest. Enimuero vt ipse Christus Dei filius vnigeni-  
tus, natura sua immēsus & infinitus, humana carne  
vestiēdus, sese in matris utero, velut in arctū contra-  
xit: Ita & nostræ concionis in incarnationis Domi-  
nicæ mysterio, & matris suæ laudibus explicandis,  
quæ alioqui ex se, nec finē nec modū sciunt: modū  
ac finem faciat, necesse est. Porro, vt rem ipsam  
cominus aggrediamur, & eandem, quàm poteri-  
mus paucis absoluamus: duo potissimum videre  
videor, quibus quisque piē Christianus, ad præclarę  
festiuitatis hodiernæ contemplationem, & eius-  
dem encomium adduci atque incitari posset. Quo-  
rum prius, immensum inexhaustūque beneficio-  
rum cumulū esse per incarnationem Dominicam,  
in humanū genus collatorum, quiuis altiori mente  
considerans, facilē perspicere potest. Deinde, nun-  
quam satis laudata, Christi genitricis virtus, atque  
excellētia ineffabilis, ad eandem laudibus esse-  
rendam, hominē verē piū excitare valet. Itaque,  
quod instituimus, paulo altius, paucis tamen, repe-  
tamus. Inter varias cum corporis, tum animi dotes  
(vt inde propositæ rei exordium sumamus) quibus

rerum opifex Deus, prothoplastes exornauerat, Iustitiam, quam vocant originalem, longè præcelluisse, nusquam non docent nos sacræ literæ. Per eam enim immortalitate dotabantur: Dei gratia beabantur: paradisi fruebantur deliciis. Tanta denique internarum virium perornabantur harmonia, vt quocunq; inclinabat animi ratio, eo, citra vllam reluctantationem, pars sequebatur inferior, vt non indoctè, mea quidem sententia cecinit ille:

Io. Mott. *Cum foret humana hæc nullis obnoxia damnis*

*Conditio, nullis subdita vita malis.*

*Elysios saltus gemini tenuere parentes,*

*Lætitia sacer his tum paradysus erat.*

Gen. 3.

Verùm non adeò multo pòst, colubri pestilentissimi astu, decepti, eo ingratitude, vel potius vesaniæ delapsi sunt, vt non solùm paradiso sint expulsi, sed verius in gehennæ hiatum sint miserimè detrusi. Quorum posteritati, quantæ incommoditates inde exortæ sunt, neque hic locus iam postulat, neque temporis breuitas, vt recitemus, permittit. Et verius modo considerandum venit, quàm ineffabili consilio, quàmque incomparabili charitate, æternus rerum conditor, per suam immensam bonitatem, humanum genus, in profundum barathrum, tantum non demersum, reuocauerit atque restituerit. Itaque quū iam temporis plenitudo aduenisset, Deus pater, quem tantæ miseræ, atque calamitatis humanæ misertum

Galat. 4.

fuerat: filium suum vnigenitum, in hoc missurus  
 exilium, offensam prothoparentum expiaturum, ad  
 virginem Israël, de qua prophetæ oraculum longè  
 ante præcinnerat: Ecce, virgo concipiet, & pariet Etsai. 7.  
 filium, Angelum Gabrielem, qui eandem diuini  
 consilij certiozem redderet, hodie legare dignatus  
 est, iuxta Euangelistam Lucam dicentem: Missus Luc. I.  
 est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ  
 cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam  
 viro cui nomen Ioseph, de domo Dauid, & nomen  
 virginis Maria. Qua profecto legatione, homo, qui  
 iam in totum sua culpa perierat, non solum veluti  
 a profundis manibus, ad superos est euectus, ve-  
 rum etiam hac vniuersa mundi fabrica, inde con-  
 secuta est perfectionem vltimam. Tradunt autem  
 non obscure, mathematicarum literarum optimi  
 quique professores, lineam tum demum adeptam  
 esse, suæ perfectionis absolutionem geometricam,  
 quum per finis principio nexum vnionemque, in  
 figuram flectitur circularem. Atqui instar lineæ,  
 Dei virtutem & Dei sapientiam, Verbum quod I. Cor. I.  
Ioan. I.  
 erat in principio, principium, per quod omnia sunt  
 condita ac compacta, & præter quod nullum est  
 aliud principium, homini, postremæ Dei creature, Gen. I.  
Luc. I.  
 stupente natura, authore patre, sancto afflante spi-  
 ritu, pronubo Angelo, citra virilem operam, in sa-  
 cratissimo Mariæ vteri sacrario, hodie ita conne-  
 xuit ac vniuit hæc fausta sanctaque legatio, vt idē  
 h. iij.

qui ab æterno, & ante tempora erat Deus, homo  
 in tempore factus, Deus simul & homo esset. Fœlix  
 certe toti mundo, hæc legatio. Hinc etenim homo  
 pro innata iustitia, qua illū, gustati pomi mellitum  
 venenum spoliauerat, gratiam: pro paradisi deli-  
 ciiis, cæli possessionem: pro fructus suavis esu, cæ-  
 lestem Angelorum, & æternæ vitæ panem: pro loci  
 amœnitate, fœlix ciuium cælestium consortium, à  
 Deo misericorditer est adeptus atque consecutus.  
 Neque ea sola, verumetiam dum Dei filius homo  
 efficitur, homo, filij Dei iure est donatus: nam co-  
 hæres Christi verbi Dei, teste Apostolo, est factus.  
 Quid plura? tot profectò, tantisque genus huma-  
 num beneficiis video, hac fœlici legatione cælitus  
 cumulatum, vt labi propemodum expediisse, & Adē  
 culpam non absurdè, sed verè à Beato Gregorio,  
 fœlicem nuncupatam esse existimem. O terque  
 quaterque beatus, diuinus ille nuncius, cui tam  
 beati mysterij legatio à Deo hodie est congregita.  
 Fœlix annūtiatio, quam tam fœlix & inexhaustus  
 bonorum cumulus est concomitatus. Fœlix quo-  
 que dies, in qua, veridica multorum Prophetarum  
 vaticinia prænunciata, rei veritate sunt collustrata.  
 Sed longè omnium fœlicissima deipara virgo Ma-  
 ria, quæ dum Angeli Gabriëlis Euangelio credula  
 assentitur, miro & ineffabili modo, Dei mater effi-  
 citur. Ecce, inquit ad Angelum, ancilla Domini:  
 fiat mihi secundum verbum tuum. O sublimem

Ioan. 6.

Rom. 8.

Luc. 7.



humilitatem, & humilem sublimitatē: Dum autem Domini se ancillam nuncupat, cælorum opificem sibi incorporat, & Domini mater, cælique regina effici meretur. Dum blanda, ac modesta voce, Fiat mihi secundum verbum tuum, respondet: contestata est, illā sese esse, de qua statim in ipsius rudis adhuc mundi primordiis, conditor ipse edidit vaticinium, dicens mulierem fore, quæ letiferi serpentis caput protereret atque contunderet. Breuis est verborum contextu, ista respōsio, Fiat mihi secundum verbum: sed quibusuis verborum ambagibus efficaciam amplitudine prolixior. Hinc illius, quam paulo antè commemorauimus, principij & finis lineæ absolutio, id est, Dei & hominis nexus, & indissolubilis vnio: Hinc & tam grauis iacturæ, quam generi humano Satanæ astutia intulerat, ampla recompensatio. Hinc nostræ fœlicitatis, ac salutis æternæ iacta fundamenta: hinc à seruitute diabolica liberatio: hinc inferni spoliatio: hinc cæli denique nobis latissimus patet aditus. Cæterum, quamuis isthæc paucula, de incarnationis Dominicæ mysterio, ex innumeris quæ afferri possent, breuitatis studiosi, perstrinximus: spero tamen vos intueri, quàm sit immensus faustissimæ legationis istius, atque Annuntiationis beneficiorum in nostrum genus collatorum aceruus. Iam verò hoc vnum nostri instituti, simili breuitate expediendum, nobis restare puto: videlicet, quàm sit humano ge-

Gen. 3.

neri suspicienda, laudandáque hæc diuina virguncula Maria, per quam omnis spes beatitudinis, & salutis humano generi fœliciter illuxit. Scio equidem morem esse multorum hominum, in hoc dicendi genere versantium, principiò quidem heroum, & illustrium virorum exempla adducere, ac ob oculos auditorum diligenter proponere, quo illorum collatione, illustrior reddatur is, quem laudibus attollere conantur. Verum, hæc cæli regina, Christi mater atque virgo, vsque ad eò virtutibus atque excellentia superat omne laudis humanæ fastigium, vt quicquid, quantumuis egregium, aut illustre adhibueris, tenebras admoueris, nõ lucem. Nec vllus concionator, aut orator tam disertus, tam eloquentia pollens, vsquam inuentus est hætenus, qui huius imperatricis virtutes ac laudes digne factis exornare valuerit, Vt non male decantat ille:

Io. Calcia.

*Cur per tot species frustra laudare fatigor*

*Virtutes Mariæ, quæ tulit omne bonum?*

*Nil viget in tota mundi compagine, quod non*

*Amplius in Maria virgine comperias.*

*Cogitet ingenium quauis præconia, lingua*

*Conueniant omnes, cuncta creata sonent:*

*Non poterunt Mariæ dotes æquare loquendo,*

*Omnis sed meritis laus erit inferior.*

Hæc autem est imperatrix illa, quæ ineffabili ratione, atque modo, quem cæli capere non poterant, castissimi vteri sui complexu circumdare me-

ruit. Hæc est, virgo, cuius virginitatem prægnantem rubus ille Moyſi falso flagrare in eremo viſus Exo. 3. est. Hæc est noui Adæ noua Æua, non nouerca, vt illa vetus *πρωτοτόκος*, quæ fœtus suos, etiã priuſquam Gen. 3. pepererat, peccato extinxit: Sed pia mater, quæ inextricabili ænigmate, eundem ipſum, à quo fuerat procreata, concepit, & de propria carne & ſanguine viciffim procreauit: nec ab alio prægnans facta, quàm ab eo, quem poſtea erat paritura. Hæc denique eſt, æterni numinis ſacraſſimum ſacrarium, triclinium diuinitatis, apotheca Spiritus ſancti. Quid plura? Quicquid autem poterit vel hominis lingua ſonare, vel humana mens concipere, etiam ſi ſupra humani ingenij vires fuerit, longè tamẽ inferius, vt iam dixi, virginis huius laudibus erit. Proinde rogo vos, fratres, quod noſtri ingenioſi imbecillitas, atque infantia hîc nequit: id ſumma veſtra deuotio, & non vulgaris eruditio benignè ſupplere dignetur. Super eſt itaque pro colophone addendum, vt in myſterij incarnationis Dominicæ laudem, & Mariæ virginis honorem, feſtuitatem hodiernam, piè ac deuotè omnes pariter celebremus: Virginem puerperam ſemper veneremur, honoremus, amemus, per quam ſeiſum nobis dedit Ieſus Chriſtus, eius filius, cui cum patre, & Spiritu ſancto, ſit omnis honor & gloria, per infinita ſeculorum ſecula .

## DE RESVRRECTIONE DOMINI

NOSTRI IESV CHRISTI:

Concio Capitularis.

THEMA.

*Christus resurrexit, primitia dormientium.*

1. Corin. 15.

Exod. 3.

*Sabba<sup>m</sup>.*

Exod. 4.

Exod. 4.

**M**AGNVS ille præco, fratres, & legislator Moyses, quum à Domino Deo ad Pharaonem mitteretur, ad populum Israëliticum, durissimo seruitutis iugo eximendū: trepidus legationē huiusmodi refugies, inter alia, id quoque excusationis prætendebat, dicens: Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri & nudius tertius: & ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum. Porrò si tantus vir, & diuinis muneribus cumulatissimè insignitus, electusque à domino, ad prouinciam liberandi populū Dei, causatus est suæ linguę tarditatem: an non mihi offertur trepidandi occasio, qui vix primoribus labris concionādi peritiam delibarem, quum mihi habenda iam sit concio, in hac religiosorum, pariter & eruditorum virorum corona? Verum animaduerti, quid Moyse infantiam suam causanti, responderit Dominus. Quis fecit, inquit, os hominis, aut quis fabricatus est mutum & surdum? nonne ego? Perge igitur, & ego ero in

ore tuo: docebóque te quid loquaris. Quibusquidem verbis, non soli Moyfi, sed & mortalibus cunctis, in honorem Domini loquuturis, pollicitus est pro sua inexhausta benignitate, opem suam, atque præsidium non defuturum. Cuius etiam nos auxiliij nunc fiducia freti, huic oneri humeros nostros submisimus: Et de hodierna festiuitate, non nihil depromédi prouinciã suscepimus. Quod vt cõmodius fiat, ad pientissimã virginẽ matrem, pariter confugiamus, & tota mente ei offeramus illud cælestis paranymphe eloquium, quò diuini Spiritus gratiam nobis impetrare dignetur: dicētes Ave gratia plena.

DE RESVRRECTIONE DOMINI  
NOSTRI IESV CHRISTI:

Concio Capitularis.

THEMA.

*Christus resurrexit, primitia dormientium.*

I. Corin. 15.

**N**ITERIS proditum est, fratres, cunctis rebus viuentibus à natura esse tributum, vt vitam suam super omnia expetant, atque eandem tueantur: Nihilque esse quod tam refugiant, quàm sui prorsus interitum. Id quod etiamnum omni animantiũ generi inditum à natura planissimè cognoscimus, quum videamus cuncta, vitalis sensus participia, vbi in lucem edita

Cic. l. de  
Offi.

i. iij.

Gen. 3.

sunt, vitam suam pro viribus tutari, próque ea mortuus digladiari: Et mortem atque interitum, suapte natura exhorrescere. Atqui præclarum illud diuinumque munus prothoplastus, diuini mandati præuaricatione, vxoria persuasione deceptus, nobis infeliciter ademit: Et oppositam illi mortem, toti suæ posteritati inuexit. Siquidem stola immortalitatis, quam in suæ formationis primordio, à plasmatore suo susceperat, serpentis antiqui fraude (id quod semel, iterumque vobis, vt potui, denarrasse memini) atque astutia denudatus, totum genus humanum, in ineuitabilem moriendi necessitatem induxit, vt appositè cecinit ille:

Io. Mott. *Primæui labes obstruxerat astra parentis,**Fecerat & lethi noxa paterna reos.*

Neque simplex & vnicum id malum fuit, sed geminum, quod in vtramque hominis partem, nimirum corpus & animam, lethaliter est grassatum. Itaque id quod diuina gratia, ac bonitate nobis in prothoparente, tributum erat in vitam, per ipsum factum est nobis in amaram mortem. Verum hæc tam grauem humanæ propaginis ruinam, sceleriter restaurauit Adam secundus, Dominus noster Iesus Christus, id quod collapsum fuerat, benignè reparans, & morbo tam exitiali, salutare pharmacum adhibens, quum mortem nostram moriendo destruxit, & ipse dormientium primiciæ, vitam hodie resurgendo reparauit, nostræ ab inferis ac morte

1. Corin. 15.

Resurrectionis, & in cælum ascensionis dedicans  
primordia, vt graphicè hoc carmine expressit quidã:

*At Deus excelsò superum demissus ab axe,*

Ioan. Mott.

*Sydereæ soluit claustra beata domus.*

*Venit & infestum Christus moriturus in orbem,*

*Vt quateret stygij iura cruenta ducis.*

Ipse enim verus est agnus, qui morte sua, & resurrectione vitam nobis reddidit: & peccata mundi in profundum maris proiciens, expiauit. Cuius resurrectionis triumphum gloriosum, hodie per totum terrarum orbem sacrosancta personat Ecclesia catholica letabunda. Sed & in cælestibus quoque hæc festa paschalia seduli peragunt spiritus omnes Angelici, & vniuersa cælicolarum caterua, resurgentis Christi gloriam admirantes, atque colaudantes. Perfusi autem gaudio inenarrabili omnes superi pariter delectantur, in eo quod forma serui reuerfa sit in formam Dei: Et exinanitio humilitatis, ad depositæ altitudinis redierit pristinam maiestatem. Vnde singuli exultant, cuncti simul gaudent exclamantes: Hæc est dies, quam fecit Dominus, Mich. 7. Psal. 117. exultemus & lætemur in ea. Hæc utique est dies præclara & celebris, excelsior cunctis, sanctior vniuersis in cælo & in terra: in qua mundi fabricator ab inferis resurgens, destructis vinculis mortis, victor gloriosus remeavit ad superos. Lætemur igitur spiritali letitia & nos, fratres, & delectemur in Domino. Omnes pariter concinamus carmen iucun-

Exod. 12.

ditatis & lætitiæ, canticum nouum, carmen Deo nostro. Deletum enim est iam & antiquatum antiquum mortis chirographum, & pristina restituta est vitæ libertas. Si autem in exitu Israël de Ægypto, sanguis agni restitutio fuit libertatis: Et dies, in monumentum habita est cultu sempiterno quæ per sanguinem pecudis iram auerterat percussoris: quanta Christianis omnibus cõcipienda sunt gaudia, pro quibus omnipotens pater, vnigenito filio suo non pepercit, sed pro eis omnibus tradidit illũ, vt in occasione Christi, filij sui, agni immaculati, verum esset Pascha, & singulare sacrificiũ, quo non ex imperio graui Pharaonis vnus populus liberaretur, sed ex vastatoris immanissimi, diaboli captiuitate, totus mundus eriperetur? Isthoc autem est sacratissimum sacramentum atque mylterium, cui ab initio vniuersa famulata sunt sacramenta atque mysteria. Omnium quippe prophetarum scopus, erat Christus, & per mortem Christi redemptio, atque salus nostra. Nunc autem Abeli pastoris sanguis innoxius, mortem Christi pastoris summi eloquitur: Et in parricidio Iudeorum, Christum crucifigẽtium, Cainus interemptor fratris agnoscitur. Modò diluuium & archa Noë, nobis declarant atque manifestant, quid renouationis in baptismo, & quid salutis in ligno. Modò Abraham, multarum gentium pater, promissos acquirit hæredes: Et in semine eius, non quidem germen carnis, sed

Rom. 8.

Gen. 17.

Rom. 4.



veræ fidei propago benedicatur. Ioseph quoque à Gen. 37  
 fratribus, in Ægyptum venditus, nunc tandem pa-  
 tri viuens renuntiatur. In summa, incarnationem  
 verbi & Christi passionem, redemptionem denique  
 nostram & salutem, Moysi, & prophetarum vati-  
 cinia cecinerunt omnia. Certè nullum iam habet  
 robur, sed elumbis ac inualida est perfidorum su-  
 perba insultatio Iudæorum, contra fidem ortho-  
 doxam obiectantium, nihil magni videri debere,  
 Christum in terris degentem, & cum hominibus  
 conuersantem, mortuos exsuscitasse, quum Eli-  
 feus maius præstiterit (ipsi autè Iudæi sic esse astru-  
 ere conantur) ad contactum videlicet sui, mortuus 4. Reg. 13.  
 mortuum reuocâdo ad vitam. Verùm Iudæi demē-  
 tati non considerant Christum resurgentem, non  
 alium, sed seipsum iam mortuum, à morte resusci-  
 tasse, nequaquam iterum moriturum. Quod pro-  
 fectò nec Elifeus, vnquam, nec quisquam alius sibi  
 præstare potuit. Et quem aliū à morte sui contactu  
 exsuscitauit Elifeus, erat iterum morti obnoxius.  
 At Christus mortuus, virtute propria, & imperio  
 resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi Rom. 6.  
 ultra non dominabitur. Resurgendo autem supplā-  
 tauit atque prostrauit diaboli, & mortis imperium,  
 Et inferorum claustra propria virtute conculcans,  
 funditus contriuit, Vt non ineptè cecinit ille:

*Hic puer antiqui serpentis colla subacta,*

*Pressit humi, vt quondam dixerat ipse Deus.*

Cælius Cu-  
 rio.

Proinde lætemur, fratres, Quia,  
 Leodega. à *Omnis solliciti dempta est occasio luctus.*  
 Quercu. *Iam gaudere licet, iam tota plaudere mente:*

*Atque Deo grates, & cunctis dicere diuis.*

Nempe Christus pax nostra atque spes, à mortuis hodie resurrexit. Exulemus, quia cum Christo resurgemus & nos ad æternam vitam, neutiquam iterum morituri, Modo quæ sursum sunt quæramus, vbi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapiamus, non quæ super terram. Propterea verò resurrexit Christus, vt nos longe certissimos, de vera nostri à sathana, mortæque, & inferis liberatione redderet: vt iustificaret item nos, Et in spem viuam regeneraret. Propterea, inquam, à mortuis resurrexit, & ascendit ad caelos, confeditque ad æterni patris sui dexteram, vt cælum ante clausum, nobis adaperiret, & Spiritum sanctum inde mitteret, pro nobis etiamnum interpellet, ac fidem apud patrem aduocatum atque patronum agat: omnes nos regat & defendat, adeoque omnia gratia sua ac spiritu impleat: reuersurusque est iudex viuorum & mortuorum, vt pios & à morte corporali, & ab omnibus calamitatibus aliis eruat, & in regnum suum cæleste subuehat, ibique plena, & æterna fœlicitate coronet: Cui, cū patre & Spiritu sancto, sit honor & imperiū in omne æuum.

1. Pet. 1.

Ioan. 16.

1. Ioan. 2.

DE ASCENSIONE DOMINI

NOSTRI IESV CHRISTI:

Concio Capitularis.

THEMA.

*Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes calos, vt adimpleret omnia.*

*Ephe. 4.*

**S**OLENT Imperatores plerique omnes, ducésque strenuissimi, & militaris disciplinæ tenacissimi quique, è suis militibus delectum facere: Et quos norunt fortissimos, atque in bello exercitatissimos, in ipsa cõflictus acie dimicaturos statuere. Quoquidè delectus genere, vos quoq; vti oportuit, fratres, qui in hac bonarũ literarũ palæstra duces estis, & antesignani. Sic me profecto pusillum, aliis prætermis, quibus, cum verborum ornamentis, & sermonis multa cõcinnitate, etiam accedit concionandi solers cõsuetudo, huic muneri conficiendo minimè præfecissetis. Etenim dum ingenij mei vires metior, parum consultè à vobis actum iudicarem, si non vestro iudicio aliter visum esset: me videlicet ad hoc negotium absoluendum idoneum esse. Cui iudicio vestro, imperiõque acquiescere, primum, atque adeò maximũ hactenus duxi. Itaque sedulò dantes operam, vt voluntati vestræ nunc quoque morem

lz. ij.

1. Pet. 5.

gereremus, animum ad negotium appulimus, Et  
 thema nobis propositum pro ingenij nostri tenui-  
 tate exequi decreuimus. Quod, quanto maiora  
 complectitur, tanto vires nostras superare certum  
 est. In cuius tamen declaratione breuiter tractáda,  
 quantam stragem, generis humani aduersario dia-  
 bolo, procurauerit Christi Domini ad nos de-  
 scensus: quantum verò gaudij hominibus attulerit  
 eiusdem in cęlos ascensus, vnicuique nostrum, Deo  
 duce, clarescet, simul atque virginem matrem, quo  
 ea facilius assequamur, supplices comprecati fue-  
 rimus, ei offerentes salutationem Angelicam: Aue  
 gratia plena.

DE ASCENSIONE DOMINI  
 NOSTRI IESV CHRISTI:  
 Concio Capitularis.

THEMA.

*Qui descendit, ipse est & qui ascendit super  
 omnes calos, vt adimpleret omnia.*

Ephe. 4.

**N**ON obscurum est, fratres, quàm iucun-  
 da sit hominibus, tepescens iam æstas,  
 post gelidos imbres, rigentiáque frigora  
 hyberna: Sic gratissimam esse mortali-  
 bus pacem, & quietem, post crudelia atque imma-

nia bella, nullus est tam cæcus qui non videat, nullus rerum humanarum tam ignarus æstimator, qui non fateatur. Bello autem sc̄uiente, nulla neque humana, neque diuina iura ab hominibus, etiam iustissimis, per malorum improbitatem obseruari possunt. Incenduntur passim templa, sacra vbique prophanantur, fouentur furtim hæreses, palam committuntur sacrilegia, incestus impune exercetur, nusquam non violantur virgines, confidenter trucidantur innocentes: in summa, bello grassante, nusquam vel hospes ab hospite tutus: sed exulat omnis pietas atque religio: nec vllum habent superi numen, vt inquit ille. Vbique imperat & dominatur improba iniquitas, atque victrix libido, scelera latè regnant, sæuit impietas furens, & collecta vitia omnia, in homines redundant.

Seneca in  
Tragædia  
quæ inscribitur Octa-  
uia.

*Neglecta terras fugit, & mores feros*

*Hominum, & cruenta cade pollutas manus*

*Astrea virgo, syderum magnum decus.*

Nulla tam arcta sanctæ amicitiæ, quæ non malignè violatur atque contaminatur. E contrario verò, beata pax & tranquillitas, omnia secum bona mortalibus afferunt. Sacra iura, religiõque sancta dominante pace, in honore habentur: homines, hominum societate prout cupiunt, pace imperate, liberè vti possunt. Per pacem, peruium cunctis iter communis vsus ferme omnium rerum est: & ipsa tellus læta fœcundos sinus pandit vltro, tam piis

fœlix parens, & tuta alumnis. Per pacem denique  
 viget omnis honestas, atque eximia virtus. Quæ,  
 quum ita sint, opereprecium est, altius confidere-  
 mus, quanto honore, quàm magnis laudibus en-  
 comiisq̃ue, à nobis excipiendus sit legati illius è  
 cælo in terram egressus, qui pacem portat, pacem  
 amat, pacem quærit, pacem præcipit, pacem largi-  
 tur, in pace sola habitat. Cuius ad nos descensus,  
 pacem ac vnitatem inter Deum & hominem san-  
 ctissime composuit, arctissime connexuit, fœlicif-  
 sime conglutinauit. Pacem dico æternam, pace hac  
 temporanea, longe excellentiorem, & proinde lógè  
 præferendam, nimirum quæ mentem humanam  
 teneret semper vnitam Deo. Is igitur, legatus, in-  
 genti gaudio & honore, à nobis excipiendus est,  
 qui inclinauit cælos & descendit, vt præuaricato-  
 res, & æternæ damnationis reos, æterno patri, suo  
 sanguine reconciliaret, & pacem firmissime com-  
 poneret, hominésq̃ue à seruitute diabolica libera-  
 ret, vt per ipsum libertate donati, ex toto corde, ex  
 tota anima, ex omnibus viribus eum diligenter,  
 ac ei die noctúque inferuient. Is itaque, qui vnus  
 est in substantia cum Deo patre, & Spiritu sancto,  
 Dei filius vnigenitus, Christus Dominus mediator  
 Dei & hominum, à sede paterna (delector sanè  
 multum tanto legato, & legatione illa humano ge-  
 neri tam frugifera) in has terræ partes inferiores,  
 Oriens nobis ex alto, descendit, visitans plebem

Luc. 10.

1. Timot. 2.

suam, sicut per ora prophetarum præloquutus fuerat, ut eam è peccati morte, & tenebrarum inuolucris eriperet atque suscitaret. Descendit denique non solum in hac nostra inferiora: imo verò & in ipsa inferni loca, horroris & tenebrarum plena, factus mortis & inferni morsus, mortem ipsam interficiens, & eripiens sedentes in tenebris & umbra mortis, vinctos in mendicitate & ferro. Ingressus est autem armati atrium, arma eius in quibus fortis confidebat, auferens: portas æreas conterens, vectes ferreos confringens: captiuam ducens captiuitatem: educens vinctos de lacu miseriæ & lutofacis, ligans humani generis aduersarium, & tenebras illas luce præsentis suæ illuminans atque collustrans. Quæ, quum fierent, confestim obscura illa inferorum nox, miro fulgore, nempe splendore æterno, & luce vera illuminata, refulget. Statim silet lugentium stridor: Disrupti sunt captiuorum laquei: stygiorum carnificum mentes attonitæ obstupescunt: tota denique impiorum officina, Christum aduenisse contremiscit, ululantibus atque gementibus timore magno, tartariis ianitoribus, per tenebrosas umbrosaque noctis silentia, Et mirantibus, quisnam esset iste, tanto fulgore coruscus: nonnullis verò terrore nimio vociferantibus:

*En, Deus astrorum ligno suspensus in alto,*

*Qui quatit inferna lurida claustra domus.*

Conculcatis itaque, ac fortiter perruptis inferni

lz. iiii.

Osce. 13.  
Ephe. 2.

Motta.

Ephc. 2.

Ephc. 4.

Act. 1.

Gen. 5.

4. Reg. 2.

Act. 1.

vestibus ferreis, Et detrusis in atræ voraginis fossam tortoribus tartariis, legatus noster de inferis strenuus triumphator, cum liberatorum caterua, cælum sedem propriam paulò postea ascensurus, inferis egressus est. Ecce, quanto gaudio nobis excipienda sit illa legatio, quantámque stragem humani generis hosti infestissimo procurauerit legati nostri Christi, qui est pax nostra, ad nos de cælo descensus. Nunc autem hoc vnum restare arbitror, simili breuitate expediendum, quantum iucunditatis & lætitiæ (hæc autem duo, in exordio nobis proposita erant) hominibus attulerit, eiusdem legati in cælos ascensus. Nam qui descendit, idem ipse est, & qui ascendit super omnes cælos, vt adimpleret omnia. Christo igitur victore, spoliatis inferis, & tartareis illis sedibus egresso, proprioque corpore resumpto, per dies quadraginta, Apostolos & discipulos, de cælestibus instruens, loquutus est de regno Dei, hoc est, de regimine dilectæ sponsæ suæ, & matris nostræ, Ecclesiæ: Et facta de Spiritu sancto promissione, perfunctusque sua legatione, super omnes cælos hodie ascendit. Non tamen velut Enoch, aut Elias curru igneo, neque intente vno Eliseo, sed discipulis pariter conspicientibus, mirabiliter & ineffabiliter, propria virtute cælos penetrans supra cælos est subleuatus. Omnibus ergo plaudendum est, omnibus congaudendum. Quid? an non omnibus hominibus congratulandū



in voce exultationis & lætitiæ magnæ, quum Dominus noster, rex magnus super omnes deos, operatus salutem in medio terræ, subiecit illis turbidâ illam dæmonum turbam, tradiditque pedibus conculcandam? Ecce dedi vobis, inquit, potestatem cal-

Luc. 10.

candi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. An non cunctis congaudendum, quum rex virtutum, & Dominus potens in prælio, qui legatus descenderat, ut pacem componeret, patribus captiuis suo sanguine redemptis, inferis spoliatis, Et Ecclesiæ catholicæ sacratissimis sacramentis collatis, simul cum aliis donis ineffabilibus, in altum ascendens, pace composita, inimicitia verò interfecta in se-

Eph. 2.

metipso, carnem & naturam nostram, cui prius dictum erat: Terra es, & in cinerem reuerteris, supra

Gen. 3.

cælos, & omnem creaturam, sine fine regnaturam hodie subuexit atque collocauit? Quanto verò cū honore, quibúsque triumphis ac laudibus, mens humana capere nequit. Imò nec ipsi Angeli, & cælestes spiritus omnes, plenè capere potuerunt: Quorum nonnullos tunc admiratos esse, & adinvicem acclamasse, ac interrogasse, ex propheta discimus: Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, iste speciosus in amictu suo, ambulans super pennas ventorum, in magnitudine roboris sui? Non enim planè cognouerant eum, fordidam vitæ humanæ stolam indutum. Quippe cuius ru-

Esaï. 63.

l. j.

Heb. 12.

Rom. 8.

Ephē. 5.

Luc. 12.

1. Corin. 6.

bra erant vestimenta, ex humanorum malorum torculari. Is ergo qui & cælum fecit, & terrã, & omnia quæ in eis sunt, & vim mouendi cælis, cunctisque mouētibz indidit, vel solo verbo oris sui, cælos sedem propriam, pace inter Deum & hominem rata atque cōfirmata, hodie ingrediens ascendit, vt adimpleret omnia. Apertę sunt hodie portæ Sion, ianuæ cælestis Ierusalem. Ingreditur Christus thalamum suum, cum gente iusta seruante veritatem. Immensum ergo cunctis gaudium, quòd vnigenitus Dei filius, post sputa, flagra, post mortem turpissimam, nempe crucis, paternæ sedi iungitur, sedetque ad dexteram maiestatis patris in excelsis, patrem pro nobis interpellans, Pontifex constitutus pro peccatis nostris, ipse hostia & sacrificium. Æquum est igitur, & valde congruum (vt modum concioni statuamus) vt ibi sit cor nostrum, vbi thesaurus noster est. Thesaurus verò noster, quo redempti, & pretium magnum, quo empti sumus, Christus est, qui verè Deus & homo est. Sit itaque tota mens & cōuersatio nostra, vbi regnat natura & caro nostra, Dei & hominis filius vnigenitus Iesus Christus, vera pax nostra & expectatio, cui cum patre & spiritu sancto sit omnis honor & gloria, per infinita seculorum secula.

DE MISSIONE SPIRITVS SAN-  
CTI, IN DIE PENTHECOSTES:  
Concio Capitularis.

THEMA.

*Spiritus eius ornavit celos.*

*Iobus 26.*

**Q**UOD illud diuinum & singulare, quo  
genus humanum ad pristinam digni-  
tatem est renouatum, fratres, etsi per se,  
non modo apud mortales, verumetiam  
apud cælites, memorabile supra reliqua extiterit,  
tamen multò magis Spiritus sancti aduëtu, & præ-  
sentia tam manifesta, conspicuum effectum esse  
cognoscitur. Hac enim hodierna patris in filij no-  
mine legatione, ea opera omnia, quæ in nobis o-  
peratus erat Christus, Spiritus sanctus confirmavit,  
vitam, doctrinam Christi Iesu illustrando, & in  
Apostolos, ut magistrum prædicarent, magnanimi-  
tatem, & facundiam inspirando, eos nihil igno-  
rare, quod ad fidem, & æternam salutem omnium  
attineret, sinens: nihil obliuisci, nihil metuere per-  
mittens. Ex obliuiosis siquidem reddidit eos me-  
mores: ex tardis & imbecilibus, alacres: ex mœstis  
feruidos & acres: ex meticulosis, piè audaces: ex  
terrestribus denique igneos & cælestes, iuxta id  
quod prius promiserat eis Christus dicens: Para-  
l. ij.

Ioan. 14.

cletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixerero vobis. Sed ne temerè videamur transgredi morem receptissimum maiorum nostrorū, rogo vos, fratres, adeste mihi, de Spiritu sancto dicturo, Et virginē matrem pariter rogemus, quo mihi idem Spiritus, gratiam suam impartiri dignetur, dicētes Ave gratia plena.

DE MISSIONE SPIRITVS. SAN-  
CTI, IN DIE PENTHECOSTES:  
Concio Capitularis.

T H E M A.

*Spiritus eius ornavit celos.**Iobus 26.*

**M**AGNAM sanè iucunditatis & lætitiæ spiritalis materiam, nobis suggerit hodierna solennitas, fratres, si mente concipiamus reuolutionem annuam ab Ecclesiæ orthodoxæ proceribus, & catholicorum turba, Spiritui sancto consecratam illuxisse. Quo die, quinquagesimo videlicet à Resurrectione Christi, Spiritus ille qui à Patre & filio procedit, vtrique per omnia consubstantialis, atque coëqualis, aded & coæternus, ornavit cælos, id est Apostolos, & discipulos. In eos, ad omnium salutem cælitus illapsus, diuinorum sermonum abscondita, & obscura

aperiens atque collustrās. Ecquis enim est, qui Christianum se confitetur, qui non totus gessiat gaudio spiritali, planissimè conspiciens id quod fuit à Patriarchis prophetisque ante multa secula pręuisum: Et inter cęteros, à legissatore Moyse pręcognitum, qui certè nō potuit ignorare donum hodiernum, quod omnem dicendi vim superat, quum Spiritum Dei, in principio cum Deo iunxerit, dicens: In principio creauit Deus cęlum & terram, terra autem erat inanis & vacua, & tenebrę erant super faciē abyssi, & Spiritus Dei ferebatur super aquas. Ab antiquis verò patribus pariter cognitum: Abraham namque spiritum paracletum minimè ignorauit, sed pręuidit, eodem Spiritu docente (multi quoque alij, quorum nomina, & res gestę, sparsim in historia sacra leguntur) quum tres vidit, & vnum adorauit: Apostolis & fidelibus, nō modo ipsius Christi ore promissum, sed etiam in eis iam impletum esse: Spiritus enim Domini, qui ab initio repleuit orbem terrarū, in Apostolos discipulosq;, & reliquū credentium cętum, in linguis igneis dilabens, miro modo eos cęlestibus donis repleuit, ornamentisque sacratissimorū charismatum suorū hodie decorauit, sicut scriptū est: Cum complerentur dies Penthecostes, essentque omnes pariter in eodem loco, factus est repēte de cęlo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis, Et repleuit totam domum, vbi erant sedentes, Et apparuerunt illis dispartitę linguę

tanquam ignis , sedítque supra singulos eorum,  
 Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt  
 loqui variis linguis , prout Spiritus sanctus dabat  
 eloqui illis. Spiritus autem veritatis dabat quidem  
 eloqui Apostolis , quum dictum est eis : Ite , do-  
 cete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Pa-  
 tris & Filij & Spiritus sancti, docentes eos seruare  
 omnia quæcunque mandauí vobis. Sed multo  
 profundius in die sancto Penthecostes , quum per  
 eundem Spiritum, igniti, fortioresque facti, & ple-  
 nius confirmati, coram regibus & principibus lo-  
 quebantur verbum Dei cum fiducia. Prius enim se-  
 gnes, tepidi , & pusillanimes erant : & ob metum  
 Iudæorum adhuc clausis foribus sese pauidi conti-  
 nebant. Iam verò accepta ex alto spiritus sanctifi-  
 cationis virtute effusissime, libera voce, & in pro-  
 patulo verbum Dei annuntiant constantes & in-  
 trepidi : Et ab eis itur alacriter , & impigrè , in or-  
 bem vniuersum, ad prædicandum Euangelium om-  
 ni creaturæ. Gaudet iam Petrus, cum cæteris om-  
 nibus, in tribulationibus & angustiis, laboribusque  
 & periculis, qui prius vnus ancillæ voce perturba-  
 tus , expauit , Et Christum Dominum agnouisse  
 abnegauit, pollicitus tamen paulo antè, se cum illo  
 & in carcerem, & in mortem, si vrgeretur, iturum.  
 Mira sanè operatur iste vnus & idem Spiritus , di-  
 uidens singulis prout vult. Vnicuique enim, iuxta  
 Apostolũ, datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem

Matt. 28.

Act. 4.

Ioan. 20.

Act. 2.

Luc. 22.

Math. 26.

Luc. 22.

1. Corin. 12.

Alij quidem per Spiritum , datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia sanitatum , in vno Spiritu: alij operatio virtutum, alij prophetia , alij discretio Spirituum, alij generalium linguarum: alij interpretatio sermonum. Hæc, inquam, omnia operatur vnus atque idem Spiritus. Implet autem piscatores, & Euangelij præcones Matth. 4. repente facit: afflat sæuo & immani Christianorum persecutori Paulo, & doctorem gentiũ eum reddit. Act. 9. Vocat Matthæum publicanum, & Euangelistam Matth. 9. constituit. Nobis etiam omnibus suam gratiam, quum sit benignus, suavis, & beneficus, si non refractarij persistamus, benignè impartit. Porrò de Apostolis longè ante per psalmographum, decantatum erat illud Psalmi: Cæli enarrant gloriã Dei: Psal. 18. quorum etiamnum sonus, in omnem terram exiuit, quum eodem Spiritu accepto, hodie fortes facti Euangelij prædicatores, in omnes gentes, ad prædicandum & Euangelizandum Christi fidem & gloriam Dei sunt egressi. Ceterum spiritualibus nequitix potestatibus, per vehementem illum flatum disiectis, cunctisque demonibus ab aëre depulsis, adueniente Spiritu speciem ignis præferente, repleti sunt omnes qui in cœnaculo morabãtur. Cœnaculum autem superior pars domus, aut ipsum etiam totum edificium supremum, ab emendatè loquentibus nuncupari solet. Nemo autem illius

Act. 1.

Act. 2.

Ioel. 2.

spiritus veritatis particeps fieri potest, qui non in excelsa huius vitæ parte versetur, mentem suam à caducis fluxisque rebus, ad sempiternas sedulo trahens. Ij autem qui ea quæ sursum sunt, sapiunt, quique consuetudine sua, à terra in cælum translati, sublimem illam & cælestem rempublicam colunt, & contemplantur, Spiritum sanctum assequuntur, eiusque participes fiunt. Etenim vt tradit historia iam commemorata: Quum reuertissent Ierusalem qui eum ascendentem viderant, ascenderunt in cœnaculum vbi manebat Petrus & Ioannes, & Iacobus & Andreas, Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi. Hi omnes erant perseverantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus eius. Et ignis ille diuinus, omnis materię expers, pro numero eorum, qui in cœnaculo erant congregati, ad linguarum similitudinem diuisus est. Et qui donum illud acceperāt, vt eadem refert historia, Parthis, & Medis, & Ælamitis, aduenisque Romanis, ac reliquis gentibus loquebantur, voces suas singularum linguis, (quæ omnes septuaginta duę in mundo esse perhibentur) sic accommodantes, vt ab omnibus intelligerentur. Tunc certè adimpletum est, quod per Prophetam Ioëlem (aliorum vaticinia breuitatis studiosus modo suppressim) eodem Spiritu plenum, longè antè prædictum erat: Effundā de Spiritu meo,



inquit Ioel, super omnem carnem, & propheta- Ioel. 2.  
 bunt filij vestri, & filia vestrae, & iuuenes vestri  
 visiones videbunt, & seniores vestri somnia som-  
 niabunt. Et in eadem hanc sententiam protulit  
 Iobus dicens: Spiritus eius ornauit celos, id est Apo Iob. 26.  
 stolos, discipulosque, & reliquam credentium tur-  
 bam. Sed ne longius diuagemur, superest, vt exul-  
 temus cum Apostolis, & discipulis munere sancti  
 Spiritus, & toto corde rogemus, vt nobis, & fide-  
 libus cunctis, suam gratiam & mansuetudinem be-  
 nignè largiatur benignus ille Spiritus: vtque eius-  
 de Spiritus gratia semper digni inueniamur. Quod  
 fiet, si noctes & dies perseuerauerimus vnanimes  
 concordésque, in eodem loco, per promissam sta-  
 bilitatem, ad laudem & gloriam Iesu Christi Do-  
 mini nostri, æterni patris, & eiusdem Spiritus san-  
 cti, qui est super omnia Deus benedictus in secula.

DE SOLENNI FESTIUITATE,  
 VENERABILIS, ET SACROSANCTI  
 corporis Christi: Concio Capitularis.

THEMA.

*Venite, exultemus Domino: iubilemus*

*Deo salutari nostro.*

*Psal. 94.*

**N**DIGNVM sanè videri posset, & re ipsa  
 insignis cuiusdam incogitãtiæ esset, fra-  
 tres, cæteras anni festiuitates, tanto cõ-  
 cionis capitularis apparatu, certatim à  
 nobis celebrari: & hodiernæ diei celebritatẽ, inter  
 m. j.

Lutherus.  
 Carolstadi<sup>o</sup>  
 Zuinglius.  
 Caluinus.  
 O Ecolam-  
 padius.  
 Melhofer<sup>o</sup>.  
 Bucerus.  
 Musculus,  
 & nonnulli  
 alij, diaboli  
 ministri fi-  
 delissimi.

cæteras præcipuâ, non perinde cõcione pro viribus nostris, celebri cohonestari: velint nolint sceleratissimi Ecclesię catholicæ desertores quidam, qui hoc nostro æuo, inter alia, quæ sceleratè suis scriptis moliuntur, blasphemias indefinenter euomunt, non solum in diuorum laudes, quæ in domo Dei ritè canendo quotidie fiunt: sed etiam horrenda impietate, in sacrosanctæ Eucharistiæ (quam hèresi-archa Lutherus, placentam consecratam, & missæ sacrificium, idolatriam alicubi appellat) mysterium & eius maiestatem cunctis fidelibus venerandam, abominationes pessimas effutiunt, despuuntque: dum pios, & verè Christianos, hodie hymnis & psalmis, laudes Deo concinentes inuiti audiunt, & amara maledicètia more suo irrident. Verùm dum tacitus mecum rem ipsam omnem considero, & eius dignitatem, atque excellentiam intueor: intelligere videor, nulli hominum tantam esse sapientiam, nulli tantam dicendi copiam, quæ posset solennitatem hodiernam, digno satis verborum apparatu exornare. Sed ego iam memor sententiæ illius, qui nec fallere, nec falli nouit: quoniã si quis sapientiam desiderat, eam à Domino Deo postulet, & dabitur ei: Et proinde eiusdem sententia frerus, susceptum negocium exequi adnitar. Rogemus itaque, fratres, sapientiam Patris Christum Dominum, ac eius matrem illibatam, quo mihi adsit in hoc negocio, Spiritus sancti gratia, eulogium Angelicum offerentes: Aue gratia plena.

Iac. 1.

1. Corint. 1.

DE SOLENNI FESTIVITATE,  
 VENERABILIS, ET SACROSANCTI  
 corporis Christi: Concio Capitularis.

T H E M A.

*Venite, exultemus Domino iubilemus  
 Deo salutari nostro.*

*Pfal. 94.*

**D**IV MULTVMQVE laborarunt, prophanarum historiarum veterum, & fabularum scriptores varij: cum, in peruestigandis, & commemorandis perfectis amicis, tum in laudandis, & tantum non in cælum euehendis, inter cæteros, Pylade & Oreste duobus amicis, amore mutuo cõiunctissimis: quòd quum eorum alter, ob facinus quoddam insigne, dãmnnatus esset capite, alter verò sponte sua asseuerauerit se idem ipsum crimen perpetrasse, vt amicum suum iam morti addictum, morte sua liberaret. Nec multum absimile videre est, de Pythia & Damone, duobus amicis amicissimis: Siquidem hoc animo inter se fuisse ferunt: quum eorum alteri diem necis Dionysius tyrannus destinauisset, & is qui iam neci addictus erat, paucos sibi dies, commendãdorum suorum causa postulauisset, alter vas factus est eius sistendi: vt si ille non reuertisset, moriendum esset ipsi. Mira est hæc, fateor, & rara

Horũ amicitia cognosce ex 2. Cic. de Finibus, Statio, & Ouid.

Cic. 3. de Offi. & Val. Max. cap. de Amicitia

m. ij.

inuenta amicitia: & eò magis probanda, quo rarior est huiuscemodi amicorum numerus. Verum fileat iam suos Pylades & Orestes, Pythias & Damones, cæterósque cõsimilis farine amicos prophana quæuis historia, aut verius poëtarum fabula:

Mott.

*Priscæque discedant* (inquit ille) *veterũ mēdacia Vatum,*  
*Nec muneris habeat fabula vana locum.*

Siquidem vnus est non vni aut alteri tantum, sed vniuerso hominum generi, verus semper amicus, Christus Dominus verè suspiciendus, amicè amplexandus, verè omnium ore & corde decãtandus: qui vera & amica voce, vltro clamitare minimè

Matth. 11.

cessat, Venite ad me omnes pariter qui laboratis, & quocunque onere onerati estis, & ego reficiam vos. Nam quũ summus Dominus & Deus esset, eò tamen clementiæ, per amorem ardentissimum, & veram amicitiam deuenit, vt, veluti suæ deitatis, &

Phil. 2.

immensæ celsitudinis oblitus, semetipsum exinanierit, formam serui accipiens, & homo in virginis matris utero factus, non modo supplicium exquisitum, quum innocens esset, & criminis expers, sed & mortẽ ignominiosam sciens & volẽs subierit, & mortem æternam, pœnãque acerbam toti humano generi, iure inobedienciæ debitas, in proprio corpore exoluerit. Quæ quum ita sint: Ecquis vnquam inuentus hætenus est, aut posthac quis inuenietur, in veri amoris ardore, cum amico eo conferendus? Certe nullus. Proinde quis tã faxeus,

hæc perpendens, qui tanto salutari suo nõ exulter, non iubilet, non applaudat? Quis tam ingratus, & tanti amoris, adde & illud, tanti beneficij accepti immemor esse queat, vt non intimis præcordiis, & pectore toto amet, non veneretur, non obuiis vlnis amplectetur, non psalterio & cithara modelatè decantet amicum eum, cuius studio, labore, cura, diligentia, tam graui periculo, nempe mortis perpetuæ eruitur, expeditur, liberatur? nisi si fortè reprobis quispiam Lutheranus, Zuinglianus, aut deploratæ mentis Caluinius pridè orci familiæ ascriptus, talis reperiatur. Iure igitur nos, tanti amoris iugiter memores, inuicem adhortari atque exstimulare possumus & debemus semper amico nostro Christo Iesu ore & corde occinentes, & impigrè, quantulècunque seruitutis nostrę obsequium, psal-  
 mum læti offerentes: Venite, exultemus Domino, Psal. 94.  
 iubilemus Deo salutari nostro Iesu Christo, qui suc- Eph. 5.  
 cèsus igne amoris generis nostri tradidit semetip-  
 sum pro nobis, in ara crucis, oblatione & hostiam Deo Patri, in odorem suauitatis. Ecquis porrò in tantum sui obliuisci potest, vt amicum eum non exalter, non summè diligat, non laudibus celebret, cuius benignitate sit extra aleam paupertatis constitutus? Nos verò omnes, quum in extremam pauperiem delapsi essemus, amici summi Christi Domini benignitate omni gratia diuites facti sumus, Apostolo attestante, qui ait: Gratias ago Deo meo, 1. Cor. 1.

quòd in illo diuites facti estis in omnibus, in òmni verbo, & in omni sciētia, ita vt nihil vobis desit in vlla gratia. Sed quē putas tam effrontē, & sui negligente inueniri posse, præter istos nostri tēporis Ecclesię catholicę impugnatores impiissimos, & Christianę religionis disciplinæq; irrisores demētatos: qui si quādo lethali vulnere percussus sit, eū amicū non amore, & quidem ingenti prosequatur, non benedicat, non exosculetur, à quo curatum se, & pristinę sanitati redditum persentissit? At certè omnes nos, quum sæpe vulnerati grauitè, & faucij lethaliter sumus: amator nostri Christus, diligentissime nos curat, & studiosissime saluti restituit, vulneribus nostris vinum & oleum infundens: quod ex parabola illius compertum habemus ab Ierusalem in Iericho descendentis, & in latrones incidentis, qui eum vulneratum spoliatumque, & tantum non animam efflantem, in itinere reliquerunt. Iure igitur optimo, in voce exultationis & cōfessionis decantare tenemur: Venite, exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro. Quis denique tam petulanter improbus aut amens credi potest: qui, si quando in abyssum inciderit, non tota mente, pariter & voce laudet, & intonet amicum eum, cuius beneficio continuò resurgere, & ex imo (dum dico imum, intelligo vitia & peccatum) emergere, eripi, & saluari possit? At nullus mortalium, tam immunis ab omni labe peccati in-

Luc. 10.

Psal. 94.

uenitur, qui nō quotidie in abyssum cadit, quum sa-  
 crarū literarū testimoniis, septies in die cadat etiam Prover. 24.  
 iustus: Et, nemo mundus à sordibus ne infans qui- Iob. 25.  
 dem, cuius est vnus diei vita super terram. Proinde  
 si dixerimus nos peccatum non habere, nosmet- 1. Ioan. 1.  
 ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Verūm  
 summus ille amicus noster, & amator Christus, ex  
 hoc mundo transiturus, amicam manum suam no-  
 bis porrigens, reliquit nobis pignus amoris immēsi,  
 nempe corpus suum & sanguinem, remediū longe Marc. 14.  
 efficacissimum, nolens mortem peccatorum, sed Ezech. 33.  
 vt conuertantur & æternū viuant: vt si fortè in  
 peccata, quantumcumqueuis grauia delapsi fue-  
 rimus, eadem confitentes, & pœnitentia ducti, la-  
 chrimarum aqua abluentes, corpūsque & sanguinē  
 suum dignè sumētes, continuò resurgamus. Venite  
 igitur, & exultemus Domino, & alacres psalla- Psal. 117.  
 mus Deo salutari nostro: Hæc est dies, quam fecit  
 Dominus: exultemus & lætemur in ea, quæ ho-  
 diernæ festiuitati ab Ecclesia catholica ritè conse-  
 crata esse cognoscitur. Hoc enim sacramentum, id  
 est, corpus & sanguis Christi, sub panis & vini spe-  
 ciebus contentū, cui hic dies, vti iam dixi, sacer est,  
 nos amico nostro & amatori Christo, per immēsum  
 eius in nos amorem atque clementiā, incorporat,  
 atque, vt ita dicam, inuiscerat. Hoc sacramentum,  
 Christum nobis caput adiungit, Cui etiam nos  
 membra, admirabili modo arctissime astringit. In  
 m. iiij.

hoc denique sacramento, est fons & origo omnis gratiæ & bonitatis, etiamſi Lutherus impius dicere non erubuerit, feſtum corporis Chriſti, inuentum eſſe ſatanæ. Neque hoc ſolum dicere auſum eſt impurum os Luderī, ſed Ludius Luderus, quum ludendo in odium Pontificis Romani, indulgentias iam damnafſet, & purgatorium ſuſtulifſet, liberum arbitrium exuſtaſſet, Eccleſiaſtica hierarchiam exturbafſet, merita omnia denegafſet: tandem os in cælum poſuit, & ſanctos in cælo eſſe negauit, & eorum merita, & interceſſiones nullius eſſe momenti procaciter aſſeruit. Sed & infandis blaſphemiis matrem Chriſti (peſtilentiſſimam peſtem Lutherum, ad hoc ipſum in hunc mundum orcus excacafſe videtur) laceſſiuit, iniuriis innumeris affecit. Et quum peccator in auſibus nephariis, à filiis Beſtial laudaretur, diaboli miniſterio iam totus mancipatus, pudorem omnem exiit, frontem perfricuit, nec Deum amplius timuit, nec homines reueritus eſt. Eccleſiæ ſacramenta ſacroſancta contaminauit, quorum aliquot damnauit, & vt terræ ſtercus reiecit atque conculcauit. Sed nec his contentus ſatanæ ſatelles, verum aduerſus Deum deorum quoque Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum loquutus eſt iniqua, nempe quòd in cruce deſperarit. Tandē vt omnem Dei cultum externum exploderet (plenus omni dolo & fallacia ad ſubuertendum vias Domini rectas) omnes Dei laudes abrogaret, omnē



piorum deuotionem extingueret: primum missas priuatas (vt eò vnde egressa est, referat sese cōcio nostra) in despectum deduxit atque damnauit: tandem & solēnes abominabiles fecit, postremò eò impietatis atque vesaniæ deuenit, vt pertinaciter negarit Christum in hostia adorandum, quum à sacerdote consecratur, & in altari immolatur. At, omisis modo reliquis omnibus, in quo tandem quæso te Luthere, vósque Apostatę dementati & execrabiles Zuingliani, atque Calvinici stupidi, maius suę charitatis argumentum, euidentiúsque summi amoris & dilectionis potuit Christus nobis indignis seruuulis demonstrare, quàm in hoc sacratissimo sacramento, In quo, sua ipsius præsentia corporali, nobis amantissimè prouidit, clarissime protestando illud: Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum: & fidelissime præstando id, quod Apostolis suis pollicendo prædixerat: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus? in nullo certe. Iam verò sacrificiis vmbartilibus abrogatis, verum vnicúmque sacrificium, regali sacerdotio administrandú ab eo institutum est, etiam si vos, ô insensati hæretici, nimio furore aduersus Dominum, & aduersus Christum eius succensi, crepetis medij. Nempe dedicatum est sacerdotium sacerdotiorum, sacrificium sacrificiorum, sacramentum omnium sacramentorum longè augustissimú,

n. j.

Prouerb. 8.

Ioan. 14.

Psal. 2.

Pfal. 49.

Apoc. 19.

Marc. 8.

Ioan. 6.

Matth. 28.

ab ipso, & ex ipso sacerdote sacerdotum, pontificum pontifice: qui idem est Deus Deorum, Rex regum, & Dominus dominantium. Qui & secundum multitudinem miserationum suarum misertus nostri, nolens nos dimittere ieiunos, ne deficere-  
 mus in hac via, verum corpus suum supra reliqua eius dona pretiosa, quæ immensa sua magnitudine, & infinita numero sunt, pretiosissimū, nobis comedendum, & sanguinem bibendum, liberalissimè, sub speciebus panis & vini tribuit, vt inde fiat in nobis, fons aquæ salientis in vitam æternam. Qui manducat, inquit, meam carnē, & bibit meum sanguinem, habebit vitam æternam. In hoc certe adimpletum cognoscitur, quod olim à Christo Domino, seruatore nostro, discipulis suis, & in discipulis, Christianis omnibus dictum esse verè perhibetur: Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi, dum in augustissimo eucharistiæ sacramento, sub panis & vini speciebus, ipse idem verè est, & nobis datur, qui nobiscum fuit in via, atque etiam ipse idem, qui iam est & in gloria. Quid ad hanc diuinæ bonitatis benignitatem beneficiamque accedere potuit? quid huic amoris, amicitiae, atque beneuolentiae eius erga nos addi debuit? quid locupletius, excellentius, aut diuinius hominibus præstari queat? nihil sanè. Nam omnem largitatis plenitudinem transcendens, modos omnes dilectionis excedens,

in hoc sacramēto, semetipsum exhibet in donum, & veluti prodiga quadam liberalitate, ac libera prodigalitate impulsus, donator ipse efficitur datum optimum & donum perfectum. Certè si pateretur modo temporis breuitas, possem viros plures trecentis, sanctitate, doctrina, & miraculis insigniter claros huc adducere, Lutherum subdolum, cum vniuersa cohorte sua maligna, in causa sacrosanctæ Eucharistiæ prostraturos, ac prorsus debellaturos. Sed sufficit vnus Christus, Deus verus, & verus homo, in cuius ore non est inuentus dolus, qui do- Esaï. 53.  
 losam illam turbam mox percutiet, & spiritu oris sui interficiet impios. Ait enim: Ego sum panis Ioan. 6.  
 viuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Quid appositè magis, aut clarius dici potest, Luthere insane? túque Caluine, omnium quos terra Gallica vnquam habuit, nebulo impudentissime? An nõ sufficiunt ista Christi verba, si quid vobis esset frontis, ad omnia vestra tela imbellia retundenda? Sed omiſſis Lutheranis, Zuinglianis, Caluinicis, cæterisque huius farinæ monstris impudentissimis, Christũ in sacrosancta Eucharistia veneremur: Et diem eius venerationi designatum, cum multa gratiarum actione, in hymnis & psalmis obseruemus, quãtumlibet reclamet atque allatret satanæ synagoga, satanicè satanæ dedicata. Et cum Bernardo, patre nostro, di- Bern.

camus, Disce Christiane, quātum debeas diligere Christum, qui dedit nobis carnem suam in cibum, sanguinem in potum, animam in pretium, aquam lateris in lauacrum . Quæ omnia quum vera sint & catholicæ fidei vel maximè consona, caueamus diligentissimè, ne nostrum quisquam indignè aliquando hunc panem manducet, & sanguinem bibat: Nam, Apostolo teste, qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Et proinde vnumquemque diligenter admonet dicens : Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Verùm apud se cogitabit fortè quis, neminem hominum inueniri posse, qui sese vsque adeò dignè præparare valeat, vt vsquequaque dignus, imò, vt vsquam idoneus sit, corpus Christi, cibū tam pretiosum, manducare, & sanguinē eius bibere. At is, quicumque sit, si tamen quisquam talis sit, apud se vicissim consideret, homini facienti quod in se est, Deum clementissimum gratiam suam nullo tempore denegare. Nihil enim tam cupit, quàm nostris necessitatibus succurrere, & infirmitatibus mederi. Faciamus itaque strēnuè quod in nobis est, fratres, hoc est euellamus, si quæ ruga, si quæ sordes, si quæ macula inhēsit. Si quid inuisum Deo cognoscimus, amputemus, Et per pœnitentiam & puram confessionem abluamur, & expiemur. Et sic ad sacrosanctum illud sacramentum intrepidi, & nihil hæ-

I. Corin. II.

Ibidem.

fitantes accedamus. Interim, Deum cunctipotentem obnixè rogantes, vt quemadmodum nobis corpus suum ad edendum, & sanguinem ad bibendum, in hac via, ne in ea deficiamus, impartit: ita quoque nos, hac mortali vita defunctos, in sua penuria caelestia deducat, vt cū beatis æterna & immortalis vita fruituri, in secula seculorum fœlices delectemur, exultâtes Domino, applaudentes Deo salutari nostro Iesu Christo, cui cum Patre & Spiritu sancto, sit omnis honor & gloria.

DE SANCTO IOANNE

Baptista: Concio Capitularis.

THEMA.

*Inter natos mulierum, non surrexit  
maior Ioanne Baptista.*

*Matth. II.*

**H**TSI vereor, Auditores, arduum hoc, & supra vires meas negocium moliri: vobis audientibus, viris nimirum multiuga eruditione, doctrinâque præclaris, verba facere: subinde sciens nihil nisi politum, ac cura peruigili elaboratum, huc adferre oportere: fretus tamen fauore vestro, ac beneuolentia, potius quàm sermonis venustate, quæ, quàm sit in me vel nulla, vel certè quàm sit exigua, mihi cōsciis, non ignoro, concionatoris munus hoc die suscipere non renui, à fratribus nostris, vt id oneris subirè rogatus. Sed

Matth. 10.

Iac. 1.

timeo plurimum, ne parum consultè id fecerim, præsertim quum ipsa res, de qua agitur, nèpe Ioanne Baptista, sit planè diuina: quumq; nobis nõ nisi humana sapere datum sit, si non adsit spiritus ille sanctificans, quem loquuturum per ora fidelium Christus ipse, pollicitus est dicens: Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis. Id, quod profectò, non parum me recreat modo, in onere ipso subeundo, atque confirmat. Quia ergo petendum est auxilium, & sapientia, Iacobo teste, ab eo qui est vera sapientia, & à cuius bonitate ac benignitate, omne auxilium, sufficientia omnis humana, & sapientia vniuersa emanat: hunc humiliter inuocemus, quo in nos, de diui Ioannis, Domini præcursoris laudibus non-nihil dicturos, eiusdem Spiritus gratiam benignè immittat: Idque interuentu virginis matris, dicentes: Aue gratia plena.

## DE SANCTO IOANNE

Baptista: Concio Capitularis.

THEMA.

*Inter natos mulierum, non surrexit  
maior Ioanne Baptista.*

Matth. 11.



CHRISTVS Dominus, æterni Patris sapientia æterna, in hunc mundum venturus, & eum Patri sanguine proprio reconciliaturus: prophetas, & eos quidem varios, & variis locis temporibusque ortos, sui in

carnem aduentus nuntios premittere voluit. Quorum omnium postremus Ioannes Baptista, adhuc in matris utero sanctificatus, apparuit: qui non Propheta solum, sed & plusquam Propheta dici meruit. Hic est autem de quo Ieremias dicit, Priusquam te Iere. i. formare in utero, noui te, Et antequam exires de vulua, sanctificaui te, & Prophetam in gentibus dedi te. Esaias quoque de eodem ait: Ab utero E sai. 49. matris meae vocauit me Dominus, de ventre matris meae recordatus est nominis mei. Sed & natus, Christum ipsum ore proprio, encomiasten, & virtutis suae praconem habuit Ioannes, dicente Euangelista Matthæo, vel potius Christo per Matthæum. Matth. ii. Quid existis in desertum videre? Prophetam? etiam dico vobis, & plusquam Prophetam. Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista. Verum enim uero de tanti herois, & amici Domini virtute, ac dignitate me modo loquuturum, deterret infantia mea, & indignitas, ut paulo antè dixi, quum nimirum tot sint eius laudes, ac virtutum insignia, ut vnde primum exordiar, nec facile videam, nec ubi concionis meae finem constituam, habeam: ita multa affatim suppetunt, quae in huius herois nostri laudem, hac nostra concinacula perstringenda forent omnia. Sed illud commodè in primis memoriae sese offerre videtur, quod Euangelista Lucas, de eodem refert: impletum videlicet esse tempus Elizabeth pariendi, & filium Luc. i.

peperisse: Et vicinos cognatósque eius audiuisse, quia magnificauerat Dominus misericordiã suam cum ea, & congratulatos esse ei. Sanctorum autem, & heroum in hunc mūdum æditionis adimpletio, vt vox impletio siue plenitudo, in sacra historia à plerisque sacrarum literarum peritis obseruata est, ferè semper multorum habet lætitiã. Vnde & de Christo nascituro scribitur: Impleti sunt dies Mariæ vt pareret, & peperit filium suum primogenitum. Et illud: Quum venit plenitudo tēporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret. Hoc, inquam, habet sanctorum natiuitas, atque in hunc mundum æditionis impletio, vt ingens gaudium & lætitiã multis secum afferat. Vicini itaque Elizabeth & cognati tempus pariendi adimpletum esse, & eam filium peperisse modò audientes, gauisi sunt, congratulantes ei. Et protinus considerantes misericordiam ac benignitatem diuinam, nimirum cognoscentes eam natura sterilem, insuper & iam vetulam factam, filium naturaliter parere non potuisse, sed vtrumque parentem, quum processissent in diebus suis, natum hunc à diuina clemētia, oratione assidua, & obsecratione impetrasse. Quibus omnibus annuit idem Euangelista Lucas

Luc. 2. *id est* „ dicens: Fuit in diebus Herodis Regis Iudææ, Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia: „ & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius

Galat. 4.

Luc. 1.

Luc. 1.



» Elizabeth. Erant autem iusti ambo ante Deum, in-  
» cedentes in omnibus mandatis & iustificationibus  
» Domini sine querela, & non erat illis filius, eò  
» quòd esset Elizabeth sterilis, & ambo processissent  
» in diebus suis. Factum est autem, quum sacer-  
» dotio fungeretur Zacharias in ordine vicis suæ ante  
» Deum, secundum consuetudinem sacerdotij, sorte  
» exiit vt incensum poneret ingressus in templum  
» Domini: Et omnis multitudo populi erat orans  
» foris hora incensi. Apparuit autem illi Angelus Do-  
» mini, stans à dextris altaris incensi. Et Zacharias  
» turbatus est, videns, Et timor irruit super eum. Ait  
» autem ad illum Angelus, Ne timeas Zacharia, quo-  
» niam exaudita est deprecatio tua: & vxor tua Eli-  
» zabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius  
» Ioannem: Et erit gaudium tibi, & exultatio, Et  
» multi in natiuitate eius gaudebunt. Erit enim ma-  
» gnus coram Domino. Et vinum & siceram non bi-  
» bet: & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero ma-  
» tris suæ. Erit, inquit Angelus ad Zachariam, filius  
» ille à te gignendus, magnus coram Domino. Quo-  
» modo autem potest esse non magnus coram Do-  
» mino puer ille, quem nasciturum Angelus annun-  
» tiauit, & nomen ei, etiam antè quàm natus est,  
» imposuit? Porrò, in toto nouo instrumento, de  
» duobus tantum hoc ipsum reperimus scriptum,  
» nempe de Christo, & eius præcursore amicòque  
» Ioanne Baptista. Est sanè Ioannès multipharie ma-

Matth. II.

gnus coram Domino. Nam, eodem teste, in natis mulierum, non surrexit eo maior. Non quidem mole intelligendum est, sed perfectione & sanctitate. Illud ergo præbet vel in primis, non exiguum in Ioanne Baptista, magnitudinis ac sanctitatis argumentum, inter cæteras eius prærogatiuas, & eas quidem multas ac varias, quòd ante quàm utero egressus est, ei nomen Ioannes ab Angelo, non quolibet sed Gabriele imponitur. Dixit enim ad

Luc. I.

Zachariam Gabriel: Vocabis nomen eius Ioannẽ. Hoc igitur Ioanni Christi prodromo, cum Christo ipso commune esse cognoscitur. Dicitum nempe est ab Angelo Gabriele de Christo ad Mariam: Ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Nec minus certum etiam, &

Luc. I.

euidens sanctitatis summæ, ac magnitudinis, in heroe nostro Ioanne indicium est illud: quòd eum non modo prophetam esse, sed plus quàm Prophetam, uti superius retuli, Christus Dominus, aperto sermone testatus sit. Propheta certe erat Ioannes, & plusquàm Propheta. Nam quem iusti, & prophetæ alij prædixerant quandoque venturum: hunc Ioannes iam venisse digito mōstrans, ait: Ecce

Matth. II.

agnus Dei: ecce, qui tollit peccata mundi. Ioannem esse plus quàm prophetam, Christus ipse exponere non est dedignatus, dum eum Angelum esse asseuerat, atque Malachiæ prophetę anthoritate affirmat dicens: Hic est de quo scriptum est: Ecce, ego

Ioan. I.

mitto Angelum meum, ante faciem tuam, qui præ- Mala. 3.  
 parabit viam tuam ante te. Angelum siquidem Io-  
 annem Christus vocat, qui, quamuis natura homo  
 esset Angeli officium ante ipsum multis modis se-  
 dulò erat impleturus. Quod vtique munus, longe  
 est tum superius, tum eminentius, quàm vllius iusti,  
 aut Prophetę. In multis autem Christi præcursor,  
 Angelus fuit: nimirum ante Christum, Angelo Luc. 1.  
 Gabriele annūtiante, in vtero conceptus est, natus,  
 & prædicare pœnitentiam, regnum cœlorum an- Matth. 3.  
 nuntiare: Ego vox sum clamantis in deserto, diri-  
 gite vias Domini: rectas facite semitas eius, palam Ioan. 1.  
 clamitare: discipulos sibi accire: & ante Christum  
 denique baptizare cœpit. Nam & Christū ipsum in Matth. 3.  
 Iordane flumine baptizauit, vt rectè de eo dicitur:

*Non fuit vasti spacium per orbis  
 Sanctior quisquam genitus Ioanne,  
 Qui nephas seculi meruit lauantes  
 tingere limphis.*

Ecclesia.

Et demū Herodis gladio, propter Herodiadē, quam Marc. 6.  
 incestis nuptiis fratris Philippi vxorem, sibi socia-  
 uerat idem Herodes, propria & legitima vxore  
 depulsa, mortem ante Christum subiens in limbū  
 descendit. Quem enim præcurrens, mundo iam  
 annuntiauerat, hunc moriendo, & ad inferos de-  
 scendendo, præcurrere voluit. In his omnibus, exi-  
 mius nouæ legis præco, & Christi ἀγγελος factus est  
 Ioannes diuinitus in hoc ordinatus, vt testimoniū

Ioan. I.

Christo perhiberet, & semitas eius præparandas doceret, dicente Ioanne Euangelista: Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, vt testimoniũ perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Hunc ergo (vt finiam) quem elegit Dominus, & assumpsit præcurso- rem, fratres, summis omnes veneremur laudibus. Est enim vnus diuorum, quem vnice honoremus, colamus, amemus: Et quem viuendo imitemur. Quam ob rem vnusquisque purum se, ac dignum templum eius exemplo statuatur, in quo Dei spiritus inhabitet: id quod decet milites, sub vexillo Domini militantes: vt quum mors nos protruserit ad tribunal Christi, interuentu Ioannis eius præcursoris propitiationem inueniamus: vtque præmium illud, quo nullum est sublimius, cæleste regnum præbeat Idem Iesus Christus Dominus noster, cui est honor & imperium in omne Æuum.

DE SANCTIS, PETRO ET PAULO  
Apostolis: Concio Capitularis.

T H E M A.

*Tu es Petrus, & super hanc petram  
ædificabo Ecclesiam meam.*

*Matth. 16.*

**P**ERMVLTAE extant præclara magnorum virorum instituta, fratres, sed in his nihil, mea quidem sententia, nec præclarius, nec vtilius, quàm vt clarorum virorum virtutes, & laudes promerentur: quòd exi-

mius quisque laudis atque veri honoris cupiditate ducatur: vilescerent, perirentque virtutum incrementa, si non in posterum hominis animus, laudis atque gloriae praedicationem praesentiret. Id quod praecclarus quidam vir, & magni nominis, harum rerum haudquaquam nescius, non obscure indicat, quum honorem atque laudem alere artes, assue-rare non reformidat, & confirmat cum plerisque in locis, tum praesertim in initio suarum quaestio-num quae Tusculanae inscribuntur. Nullus enim la-bor grauior pro Republica sumeretur: nulla dimi-catio susciperetur pro patria, pro parentibus, pro amicis, pro sacra religione, cum tanto & rerum, & salutis discrimine: & ut paucis multa constringam: nullum fere in vniuersum virtutis genus studium collocaretur, si post labores exantlatos prorsus ne-glecta iaceret benefactorum debita laus, virtutis-que commendatio. Si autem isthaec de hominibus etiam ethnicis, sola humana virtute ornatis, & ob id solum quod humana virtute ornati sint, nobis non modo laudibus cumulandis, sed & summè a-mandis quoque, verè dicuntur: quid, quæso, de san-ctis Petro & Paulo Christi Apostolis (quamuis nul-lis ipsi praconiis nostris indigeant) non humana sola, sed & diuina virtute diuitibus existimandum est? quibus verò laudibus efferendus est Petrus, qui quasi Apostolorum omnium os, Dominum praecclare adeò confessus est, dicens eum esse Christum

Cic. in præ-  
fatione pri-  
mæ questio-  
nis Tuscu-  
lanæ.

Cic. pro Ar-  
chia Poëta.

Matth. 16.

Ibidem.

filiū Dei viui? qui & ob id ab eodem audire meruit: Beatus es Simon Bar-ionā, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est. Et: ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram, ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo clauēs regni cælorum. Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Quibus demum præconiis euehendus est Petri coapostolus, & vas electionis, specialisque gentium magister Paulus? qui, quicquid in se ostēderint potentius, magisque mirabile, siue prophete, siue patriarchæ, siue iusti, siue Apostoli, siue martires: id omne, teste Chrysofostomo, habet cum tanto cumulo, cum quanto nullus eorum, bonum quo excellebat, impleuit. Sed vt susceptum negotium ita à nobis pertractetur, vt fructus nonnihil inde ad nos omnes perueniat, oremus pariter, fratres, quo nobis adsit Spiritus sancti gratia, salutationem Angelicam offerentes: Aue gratia plena.

A&amp;. 9.

1. Timot. 2.

Chrysof.

tom. 4. ho. 1.

DE SANCTIS, PETRO ET PAV-  
lo Apostolis : Concio Capitulæris.

T H E M A.

*Tu es Petrus, & super hanc petram  
adificabo Ecclesiam meam.*

*Matth. 16.*

**I**ANTVM donorum cælestium, fratres,  
támque ingentem gratiarum cumulum  
contulit omnipotens in beatos Apосто-  
los, Petrú Apostolici ordinis principem,  
atque Paulum gentium doctorem (quibus hic dies  
festus est) vt nulla humana eloquentia, ad amussim  
exprimi valeat: tantum abest, vt breui concioncula  
facere fatis quisquam possit. Ego itaque dum inge-  
nij mei imbecillitatem considero, non ausim illud  
mihi assumere, cui concionator ille mellitissimus,  
qui ob sapientissimam eloquentiam, & eloquen-  
tissimam sapientiam, oris aurei cognomen, & qui-  
dem meritò sortitus est, imparem se esse (nimirum  
Apostoli Pauli laudibus) palàm fateri non erubuit.  
Quod vtique si mihi assumendum existimarem, te-  
meritatis maximæ, vel potius summæ arrogantia, &  
optimo iure redargui possem. Nec tamen idcirco  
prorsus reticebo, quum loqui ex officio mihi in-  
iuncto iam incumbat: quoniam potius paucula, de  
vtroque Christi Apostolo, prout Deus dederit, &

o. iiij.

Ioan. 1.

temporis breuitas permiserit, proferā. Igitur Apostolorum princeps & Christi vicarius Petrus, ex Bethsaida Galilææ natus, nomine Simon, arte verò piscator fuit. Cuius frater Andreas, Ioannis Baptistæ discipulus, sicut & ipse etiam Petrus, extitit. Verùm Andreas audiens testimonium Ioannis de Christo, quem digito ostendens prædicabat agnum Dei, qui peccata mundi tollit, & proinde sequutus Dominum, inuenit Simonem fratrem suum, denarrauitque ei inuenisse se Messiam, duxitque ad Christum. Deinde quum fratres simul piscarentur,

Matt. 14.

Matth. 16.

vocauit eos ad se Dominus dicens: Venite post me, & faciam vos fieri pisces hominum. Relictis igitur protinus retibus, sequuti sunt eum. Sed omissio iam Andrea Apostolo, de eius fratre Petro pauca dicamus. Magna in primis est dignitas confessionis Petri, & sanctitatis eius euidentis atque perspicuum argumentum ( vt alias eius prærogatiuas, easque pene innumeras silètio iam inuoluam) quòd interrogante discipulos suos Domino, quid de se sentirent, & quæ de ipso esset eorum sententia, tanquam ceteris feruentior, & diuino quodam genio afflatus in medium prodierit, solus pro omnibus responsurus dicens, Tu es Christus filius Dei viui: nempe quo audito, Christus beatum eum statim pronunciat, eò quòd caro & sanguis minimè ei reuelauerit, sed à Deo Patre esset illuminatus: promisitque se Christus super Petrũ, propter



eximiam eius confessionem, qua præ Apostolis aliis  
 omnibus confessus est, ipsum esse filium Dei viui,  
 ædificaturum Ecclesiam suã, daturumque illi cla-  
 ues regni cælorum. Ego, inquit Christus, dico tibi,  
 non sermone casto, quia dixisse meum fecisse est,  
 sicut pater meus tibi manifestauit diuinitatẽ meã,  
 quam iam confessus es, ita & ego tibi notam facio  
 præcellentiam tuam: quia tu es Petrus, hoc est,  
 quum ego sim filius Dei viui, petra inuiolabilis, & Ephe. 2.  
 lapis angularis, qui facio vtraque vnum: funda- 1. Corint. 3.  
 mentum, præter quod nemo aliud potest ponere,  
 tamen tu quoque petra es, quia mea virtute soli-  
 daris atque firmaris: vt ea, quæ mihi potestate sunt  
 propria, sint tibi mecum participatione communia,  
 tibi dabo claues regni cælorum, Et quodcunque li- Matth. 16.  
 gaueris super terram, erit ligatum & in cælis, &  
 quodcunque solueris super terram, erit solutum &  
 in cælis. O beatum cæli ianitorem Petrum, cuius Hilar.  
 arbitrio, claues æterni aditus traduntur, cuius ter-  
 restre iudicium, præiudicata authoritas, fit in cælo,  
 vt quæ in terris aut ligata sint aut soluta, statuti  
 eiusdem conditionem obtineant & in cælo! ô di- Io. Arbor.  
 uinum hominem, & verè beatum, qui intellexit,  
 & firmissima fide professus est quod doctissimi &  
 sanctissimi prophetæ non intellexerunt, neque sunt  
 professi! Accedit & ad Petri laudem atque excel-  
 lentiam vel maximè, quòd ad extremum illi præ  
 Apostolis cæteris, suas oues regendas pascendãsque

Ioan. 21.

commiserit, vbi ter ab eo interrogatus an ipsum diligeret, & semper respondit: Tu scis Domine quia amo te: ibi enim Petrum, sanctorum patrum doctorumque iudicio, summum totius Ecclesie pontificem, eiusque successores constituit atque ordinavit. Ideoque omitto hic, brevitatis amans, errores impios, & vana somnia neochristianorum nostrorum temporum, deploratorum videlicet nebulonum, qui beatum Petrum, Apostolorum verticem (sic enim eum appellat diuus Chrysostomus) eiusque successores, a suo nituntur detrudere pontificatu, asseuerantes totius Ecclesie principatum, Apostolorum principi Petro, & eius successoribus, a Christo minime commissum esse. Sed nos, omissis insani cerebri blateronibus, a soliditate petre Apostolicæ conuulsis, id firmiter teneamus, credamurque quod doctores sanctissimi quique, omnia quecunque fuere concilia, tenuerunt, crediderunt, literis mandarunt. Et quod, non solum thema nobis propositum, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: sed & totus sacrarum literarum decursus, sanè & non perperam intellectus, sedulo, & manifestissime legentibus ostendit. Ceterum ne fortè temporis angustia nimium nos premat, paucula de eius coapostolo diuo Paulo in medium proferamus. Memini dicere me, ex diuo Chrysostomo, quicquid in se ostenderint potentius, magisque mirabile, siue prophetæ, siue patri-

Tom. 3.

homil. 55.

Lutherus.

Matth. Flac.

Vilierius.

Melanch.

Brentius.

Bucerus.

Tindalus.

Musculus,

&amp; varij alij,

errori caliginibus

inuoluti.

Matth. 16.

archæ, siue iusti, siue Apostoli, siue Martyres: id  
 omne Apostolum Paulum habere cum tanto cu-  
 mulo, cum quanto nullus eorum, bonum quo ex-  
 cellebat, impleuerit. Dicit enim de eo indefatiga-  
 bilis diuini verbi concionator Chrysostomus, Ni-  
 hil prorsus errauerit, inquit, qui pratum insigne  
 quoddam virtutum, & paradysum spiritalem Pauli  
 animum nuncupauerit: tam mira enim gratia flo-  
 ruit, tamque huic gratiæ congruente vitæ perfe-  
 ctione resplenduit: quoniam enim vas electionis  
 effectus est, & bene seipsum emendare curauit, lar-  
 gissimè in eum sancti spiritus munus effusum est.  
 vnde & mirabiles nobis fluuios genuit, non se-  
 cundum paradysi fontes quatuor tantùm, sed multo  
 etiam plures & quotidie fluentes: nec terram ri-  
 gantes, sed animas hominum ad producendum  
 virtutum germina suscitantes. Quis ergo ad expli-  
 canda virtutum germina sensus? quis ad explicanda  
 istius merita sermo sufficiet? quæ autem lingua lau-  
 dibus eius inuenietur æqualis, quum omnia, quæ  
 sunt in hominibus bona, vna anima possideat, &  
 ea cuncta plenè atque cumulatè, quæ non solum  
 hominum sunt: sed, quod amplius est, Angelorum?  
 Nequaquam ergo possumus eius explicare præco-  
 nia, nec tamen idcirco reticebimus, quin potius  
 pauca dicemus. Est enim hoc maximum laudis  
 genus, quum orationis copiam virtus exuperat, &  
 magnitudo laudati: sicque vinci nobis est multo

Tom. 4.  
 hom. 1.

„gloriosius,quàm sepe vicisse. Vnde igitur opportu-  
„nius laudum eius sumemus exordium? vnde inquã  
„incipiemus aliunde, nisi ab hoc ipso primum, vt  
„ostendamus eum bona omnium possidentem? siue  
„enim prophetae potentius aliquid in se ostende-  
„rint, magisq; mirabile, siue patriarche, siue iusti,  
„siue Apostoli, siue martyres: hæc omnia simul col-  
„ligens Paulus habet, cum tanto cumulo, cum quã-  
„to nullus eorum, bonum, quo excellebat, impleuit.  
„Hoc itaque diligentius intuere. Abel obtulit sacri-  
„ficium, & inde laudatur: sed si Pauli hostiam ad-  
„ducamus in medium, quàm cælum à terra superior  
„apparebit. Quam ergo vultis vt memorem? non  
„enim vna tantum est, siquidem semetipsum per  
„dies singulos immolabat: quam tamen rursus ho-  
„stiam dupliciter offerebat, cum quotidie moriens,  
„tum corpori suo mortificationẽ sine intermissione  
„circunferens. Nam & ad pericula iugiter paraba-  
„tur, consummans voluntate martyrium, & naturã  
„in se mortificando carnis, nihil minus, quàm im-  
„molatae hostiæ Deo munus implebat, immo etiam  
„multo amplius. Non enim oues offerebat, aut bo-  
„ues: sed semetipsum per dies singulos dupliciter,  
„vt diximus, immolabat: propter quod confitendo  
„dicebat, Ego enim iam immolor: sanguinem vri-  
„que suum immolationem vocans. Neque verò his  
„tantum sacrificiis contentus fuit, sed quia seipsum  
„consecrauerat Deo, etiam orbẽ vniuersum studuit

» offerre : qui terram videlicet ac mare, Græciam, si-  
 » mûlque Barbariem, omnémque prorsus, quanta est  
 » sub cælo, regionem, quasi volitans circumiuit, non  
 » simplici labore, veluti in vacuum itinera percur-  
 » rens, sed peccatorum spinas paritérque euellens, &  
 » verbum seminans vbique pietatis, fugans errores,  
 » veritatem reducens, ex hominibus angelos faciens:  
 » quinimo ipsos homines quasi ex dæmonibus in-  
 » Angelos prouehens. Propter quod iam hinc post  
 » sudores plurimos, ac trophæa innumerabilia tran-  
 » siturus, pro discipulorum consolatione dicebat: Sed  
 » etsi immolor super sacrificium & obsequium fidei  
 » vestræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis: pro-  
 » pter quod & vos gaudete, & congratulamini mihi.  
 » Quidnam igitur huic hostiæ reperitur æquale,  
 » quam Paulus sancti spiritus gladio immolauit, quã-  
 » que in illo altari obtulit, quod supra cælos loca-  
 » tum est? sed Abel dolo germani percussus occu-  
 » buit: atque hinc effectus est clarior. Vt ergo in-  
 » numeras tibi ostendam mortes, tot vtique, quot  
 » etiam dies beatus iste in prædicatione vixit. Si verò  
 » eam quoque vis nosse mortem, quæ nouissimè  
 » etiam rebus impleta est. Abel quidem à fratre, vt  
 » nihil à se læso, ita nullis affecto beneficiis inter-  
 » emptus est: Paulus verò ab eis interfectus est, quos  
 » innumeris malis cupiebat eripere, & propter quos  
 » sustinuit vniuersa quæ passus est. Sed Noe iustus  
 » in generatione sua, atque perfectus, & solus erat

„ talis in cunctis: sed & Paulus solus inter omnes ta-  
 „ lis inuentus. Et ille quidem tantummodo legitur  
 „ se seruasse cum liberis, hic autem multo sæuiore  
 „ mundi inundante diluuiò, non arcam coaptando  
 „ compagibus tabularum, sed epistolas componen-  
 „ do: non duos vel tres, aut quinque cognatos, sed  
 „ vniuersum prorsus orbem mergi periclitantem ex  
 „ mediis fluctibus liberauit. Nec verò hæc erat talis  
 „ arca, vt vno circumferretur loco, quæ vtique orbis  
 „ terrarum terminos comprehendit. Nam vsque nunc  
 „ omnes in hanc arcam Paulus inducit, quam certè  
 „ capacem saluandæ multitudinis præparauit, quæ  
 „ suscipiens irrationalibus penè animalibus stultio-  
 „ res, & imitatores effecit Angelorum. Et hinc quo-  
 „ que illam vicit arcam, quia illa quidem coruum  
 „ recipiens, coruum rursus emisit, & includens lu-  
 „ pum, feritatem eius mutare non potuit: Hæc verò  
 „ accipitres miluòsque suscipiens fecit columbas, &  
 „ excludens omnem irrationalitatē, atque ferocita-  
 „ tem, mansuetudinem spiritus introduxit: Manét-  
 „ que hodie hæc arca nauigans, nec tamen aliquãdo  
 „ dissoluitur, nec valet tabulas eius vlla malitiæ laxa-  
 „ re tempestas: quin potius ipsa tempestatis motus  
 „ nauigando compefcit, quod satis consequenter ef-  
 „ fectū est. Non enim bitumine aut pice, sed sancto  
 „ spiritu eius tabulæ sunt perunctæ. Sed Abraham  
 „ mirantur omnes, qui quum audisset: Abraham exi  
 „ de terra tua, & de cognatione tua: & domos reliquit

» & patriam & amicos, atque cognatos, quorū om-  
» nium iacturam solo diuini præcepti amore pensa-  
» bat: Nam & nos eum propterea miramur. Sed quis  
» Paulo possit æquari? qui non modo patriam, co-  
» gnatos, ac domum, sed seipsum quoque ac mun-  
» dum reliquit: immò etiam cælum, & cælum cæli,  
» & hæc omnia Christū suscipiendo despexit: vnum  
» pro cunctis & solum, id est Christi charitatem re-  
» quirens, neque præsentia, inquit, neque futura,  
» neque altitudo, neque profundum, neque alia crea-  
» tura poterit nos separare à charitate Dei, quæ est  
» in Christo Iesu Domino nostro. Sed Abraham se-  
» ipsum in periculum tradens hostibus, filium fratris  
» eripuit: at Paulus non fratris filium, neque tres aut  
» quinque vrbes, sed orbem vniuersum de diaboli  
» extorsit manu, innumerabilia per dies singulos pe-  
» ricula sustinendo, propriisque mortibus maximam  
» securitatem aliis comparando. Caput bonorum  
» eiusque culmen philosophiæ est quòd filiū voluit  
» immolare: hic quoque inueniemus Paulū primatū  
» tenentem, qui non filium, sed semetipsum, vt dixi,  
» millies immolauit: In Isaac quidem aliquis admi-  
» ratur, & quidem plura, sed præcipuè patientiam:  
» quoniam puteos fodiens, & de propriis exagitatus  
» laboribus resistebat minimè: sed factos à se puteos  
» obrui patiebatur, atque ad alium semper migrabat  
» locum. Neque collecta seruorum manu in aduersa-  
» rios irruerat, sed propria à possessione vbique ce-

„debat, quoadusque iniquissimam illorum expleret  
 „cupiditatem. At Paulus non puteos cernens lapi-  
 „dibus obrutos, sed proprium corpus, non solum  
 „sicut ille cedebat, sed etiam à quibus lapidabatur,  
 „in cælum studebat euehere. Quanto enim amplius  
 „obruebatur fons iste, tanto erumpebat magis, ac  
 „plures ex se fluuios effundendo manabat. De lon-  
 „ganimitate ac patientia huius filij Iacob admira-  
 „tur scriptura. Et quænam illa est adamantina pror-  
 „sus anima, quæ Pauli patientiam possit imitari? ne-  
 „que enim bis septem annorum, sed totius vitæ ser-  
 „uitium pro sponsa pertulit Christi, non adustus so-  
 „lum æstu diei, & noctis gelu, sed tentationes mille  
 „perpetiens. Et nunc quidem verberibus, nunc verò  
 „lapidibus cæsus atque collisus, & nunc quidē cum  
 „bestiis, modo autem fluctibus pugnans, modo etiã  
 „nimix atque cõtinuæ reluctans fami, diebus atque  
 „noctibus, & inter certamina vbiq; resiliens, captas  
 „oues ex diaboli faucibus extrahebat. Sed & Ioseph  
 „pudicitix virtute decoratus est: At ego vereor ne  
 „iam ridiculum sit hinc Paulum velle laudare, qui  
 „semetipsum mundo crucifigens, non solum hu-  
 „manorum corporũ pulchritudines, sed etiam om-  
 „nia quæ videntur rebus clara atque decorata, ita  
 „cernebat, quemadmodum nos fauillam, cinerem-  
 „que despiciamus, qui quasi mortuus prorsus ad mor-  
 „tuum immobilis permanebat, itaque cum tanta  
 „animi cura comprimeret incentiua vitiorum, &



„ naturæ, nihil humanum ab aliquo aliquando per-  
„ pessus est. Stupēt certè Iob omnes homines, & valde  
„ vtiq; conuenienter. Est enim ille athleta mirabi-  
„ lis : & qui Paulum ipsum velut ex aduerso possit  
„ aspicere ob patientiã, puritatẽmq; vite, ob testimo-  
„ niũ Dei, propter illã cum diabolo fortissimã pugnã  
„ propter victoriã quẽ pugnã sequuta est : At Paulus  
„ non mensibus tantum, sed annis plurimis in agone  
„ perdurans, tam clarus emicuit, non terræ gleba fa-  
„ niem carnis eradens, sed in ipsius intelligibilis os  
„ leonis frequenter incurrens, & pugnans aduersus  
„ tentationes innumeras, omni erat lapide toleran-  
„ tior, qui non à tribus aut quatuor amicis, sed à  
„ cunctis infidelibus, à falsis etiam fratribus oppro-  
„ bria sustinebat, consputatus ab omnibus, atque ma-  
„ ledictus. Sed illius erat magna hospitalitas, & cura  
„ pauperum, nec nos quidem istud negamus, sed  
„ Pauli eam liberalitate inferiorem docemus, & tãto  
„ inferiorẽ, quanto anima est corpus inferius. Quam  
„ enim ille curam impendebat carne debilibus, hanc  
„ iste animabus morbidis exhibebat, nunc mentes  
„ sensibus claudicantes dirigendo in recti itineris in-  
„ cessum, nunc nuditate deformes stola cælestis phi-  
„ losophiæ vestiendo. In corporalibus quoque bene-  
„ ficiis tanto ille superabat, quanto est amplius in  
„ fame & nuditate viuentem indigentibus ferre præ-  
„ sidium, quàm id ipsum de diuitiarum effluentia  
„ ministrare. Nam illius quidem omni aduenienti

„ aperiebatur domus, huius verò anima vniuerso pa- „  
 „ tebat orbi, ac fidelium populos benignæ mentis re „  
 „ cipiebat hospicio dicens: Nō angustiamini in no- „  
 „ bis, angustiamini autem in visceribus vestris. Et ille „  
 „ quidem quum oues & boues haberet innumeras, „  
 „ erat in pauperes liberalis: hic verò nihil amplius „  
 „ corpore suo possidens, in hoc ipso sufficienter in- „  
 „ digentibus administrabat: quod alicui ipse com- „  
 „ memorans, Necessitatibus, inquit, meis, & his qui „  
 „ mecū erant ministrauerunt manus istæ. Corporis „  
 „ enim sui operam velut ex quadam possessione fru- „  
 „ ctus esurientibus deputabat. Sed vermes videlicet „  
 „ atque vulnere, sæuos atque intollerabiles sancto „  
 „ Job inferebant dolores, & ego fateor: sed si per „  
 „ tam multos annos Pauli verbera, & cum iugi fame „  
 „ etiam nuditatem, catenas, carcerem, insidias, peri- „  
 „ culaque consideres, quæ à domesticis, ab extraneis, „  
 „ à tyrannis, à toto postremo patiebatur orbe: addas „  
 „ hoc etiam his profecto amariora, id est pro eis qui „  
 „ labeantur, dolores, sollicitudinem, quam pro „  
 „ Ecclesiis, vstionem, quam pro scandalizatis singu- „  
 „ lis perferebat, videbis quàm erit omni saxo durior „  
 „ anima ista perpetuens, & ferrum atque adamantem „  
 „ superans. Quæ enim Job corpore, hæc Paulus mète „  
 „ sustinuit, quæ omni verme molestior de singulis „  
 „ quibusque labentibus mœsticia consumebat. Vnde „  
 „ & iuges lachrimarum ex eo fontes non diebus so- „  
 „ lum, sed etiam noctibus effluebant, omnique mu- „

» liere parturiente vehementius affligebatur in sin-  
» gulis, propter quod etiã dicebat: Filioli mei, quos  
» iterum parturio . Quem verò iam quispiam post  
» Iob putet esse mirabilem? Mosen profecto, sed hunc  
» etiam Paulus satis eminenti virtute transcendit,  
» cuiusquidem sunt multa alia præclara . Sed caput  
» illius sanctæ animæ atque fastigium est, quoniam  
» pro Iudæorum salute deleri elegit ex libro vitæ: sed  
» Moses cum cæteris optauit perire, Paulus pro cæ-  
» teris. Non enim cum pereuntibus perire voluit, sed  
» vt saluarentur alij, ipse de gloriæ æternitate dici-  
» dere. Et ille quidem Pharaoni, hic autem diabolo  
» quotidie repugnabat. Et ille pro vna gente, iste verò  
» pro vniuerso orbe certauit, non sudore, sed san-  
» guine vice sudoris vndique profluente: quum non  
» solum habitabiles mundi partes, verumetiam de-  
» ferta ad cultum religionis adduceret, nec solum  
» Græcorum populos, verumetiam Barbarorum. Po-  
» teram quidem & Iesum naue, & Samuëlem, &  
» alios Prophetas in cõparatione vocare, sed ne ser-  
» monem faciam longiorem, ad ipsa eorum capita  
» condescendam. Quum enim istis excellentior ap-  
» paruerit, nulla prorsus de aliis ambiguitas relinque-  
» tur. Quinam ergo eminentiores videntur? quis post  
» hos alius, nisi Dauid & Elias, & Ioannes, quo-  
» rum vnus prioris, alter secundi est præcursor ad-  
» uentus? propter quod etiam nominis cõmunionem  
» coniuncti sunt. Quid igitur in Dauid præcipuum

» reperitur? proculdubio hospitalitas, atque erga  
» Deum feruens amor. Et quis amplius, imò quis  
» ita, vt anima Pauli, hæc vtraque compleuit? Ad-  
» mirandum autem in Elia ego minime reor, quia  
» cælum clausit, quia induxit famem, quia ignem  
» de cælo sermone compluit: sed quia zelauit pro  
» Deo, erat in hoc mentis affectu ipso igne vehe-  
» mentior. Sed si Pauli zelum diligenter inspicias,  
» tantò eum inuenies celsiorè, quanto ille prophetis  
» cæteris eminebat. Quid enim verbis illis reperia-  
» tur æquale, qui gloriam Domini zelando dicebat:  
» Quoniam optabam ego anathema esse pro fratri-  
» bus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem?  
» propterea è cælis sibi propositis ac præmiis & co-  
» ronis, tardauit atque distulit, dicens: Permanere  
» autem in carne necessarium est propter vos. Pro-  
» pterea non solum istam quæ cernitur, sed illam  
» quoque que intelligitur creaturam, nequaquam  
» sufficere sibi credidit, ad ostendendum zelum &  
» charitatem, qua ardebat in Christum: sed etiam  
» aliam, quæ non est, sermone formauit, vt quod to-  
» ta voluntate cupiebat, exprimeret. Sed Ioannes  
» in cibum locustas & mel syluestre sumebat: At  
» Paulus ita in mundi strepitu, quemadmodum ille  
» in eremi quiete versatus est: non quidem pastus  
» locustis, aut melle syluestri, sed multo his victu  
» viliori contentus, ac ne necessario quidem indul-  
» gens cibo, præ feruore & studio prædicandi. Verum

„ illius aduersus Herodem apparuit magna constan-  
„ tia , at iste non vnum aut duos, aut tres, sed innu-  
„ meros in simili positos potestate corripuit , immò  
„ longe illo seniores tyrannos. Restat vt Paulum iam  
„ Angelis comparemus. Ideóque relinquentes ter-  
„ ram ad cælorum fastigia transeamus. Sed nullus  
„ sermonis nostri accuset audaciam. Si enim Ioan-  
„ nem & sacerdotes Dei scriptura Angelos nomi-  
„ nauit, quid mirum, si præstantiorem omnibus Pau-  
„ lum illis, virtutibus conferamus? quid ergo in An-  
„ gelis magnificum prædicamus? profectò quia cum  
„ omni cura obediunt Deo. Quod Dauid quoque  
„ admirando dicebat: Potentes virtute, facientes ver-  
„ bum illius , & cætera. huic enim bono æquale est  
„ nihil. Prorsus etiam si sint millies incorporei : hoc  
„ est enim quod maximè præstat eos beatos, quia  
„ obediunt præceptis Dei, quia eum in nullo ali-  
„ quando contemnunt. Hoc igitur & in Paulo ple-  
„ ne animaduerti potest, cum omni diligentia &  
„ cautione seruatum. Non autem solum sermonem  
„ eius impleuit, verumetiam præcepta, super quæ  
„ præcepta hoc quippe declarans ait: Quæ est ergo  
„ merces mea, vt Euangelium prædicans, sine sum-  
„ ptu ponam Euangelium Dei? quid verò aliud in E-  
„ uangelio propheta miratur? Qui facit, inquit, An-  
„ gelos suos spiritus, & ministros suos igne vrentem.  
„ Sed hoc etiã in Paulo possumus inuenire, qui velut

” ignis, ac spiritus totum terrarum percurrit orbem,  
” percurrendoque purgavit. Sed necdum cælum iste  
” fortitus est, & hoc omnino mirabile: quia talis ver  
” sabatur in terris, & mortali adhuc carne circun-  
” datus, cum incorporalium potestatum virtute cer-  
” tabat. Hæc autem de diuo Paulo, incomparabilis  
episcopus ille Chrysostomus diuinus eloquentiæ  
fluuius inter pleraque alia, eaque eximia, quæ spar-  
sim in ipsius operibus de eodem scripta reliquit.  
Quæ, quia mirum in modum mihi placuerunt,  
prorsus nihil meum intermiscendum censi. Sed  
vt finem imponam, Paulum gentium doctorem,  
& Petri coapostolum, magnúmque Christianismi  
lumen, fratres, sedulò colamus: Petrum quoque  
Ecclesiæ catholicæ fundamentum, & ouium agno-  
rúmque Christi pastorem diligentius veneremur:  
vt vtriusque intercessione ad æternam vitam, post  
huius vitæ mortalis cursum, peruenire mereamur,  
gratia ac misericordia Domini nostri Iesu Christi,  
cui gloria & imperium in secula seculorum.

DE ASSUMPTIONE BEATIS-  
SIMÆ VIRGINIS MARIÆ:  
Concio Capitularis.

THEMA.

*Maria optimam partem elegit : quæ  
non auferetur ab ea.*

*Luc. 10.*

**S**I SCIREM tantum sacrarum literarum cognitionis, simul & facundie mihi esse in promptu, fratres, quantum huic negotio atque oneri esset satis: eū ipsum incunctanter subeundum mihi arbitrarer, vel sola huius loci consuetudine inueterata probatæque inuitatus. Verùm tantæ festiuitatis præcellentia, nempe virginis matris immaculatæ Mariæ in cælum Assumptionis mihi subinde dissuadere visa est. Quippe quæ concionatorem, etiamnum disertum, nedum me pusillum & infantem, à dicendo deterrere posset. Proinde in ea exequenda pro eius dignitate si anxius modo laborarem, exoptanda mihi foret, video, dicendi vis atque facultas, nō quidem Tulliana, sed potius quam in Mercurio deorum illo nuntio, veterum Poëtarum fabulæ, non sine causa, subnotarunt. Cæterum quia votis huiuscemodi omnino nihil proficeretur, eam verius petendam à Christo Domino censeo, qui

q. iiij.



Iac. I.

dat omnibus petentibus eum affluenter, vt inquit Iacobus, & non impropere. Conspicio enim per quàm sapienter à maioribus nostris prudentissimis institutum esse, vt rerum videlicet omniũ bene à nobis agendarum, initium ab oratione ac diuorum inuocatione semper caperetur: quòd nihil feliciter satis, nihil prouidenter homines, sine ope diuina, & diuorum auxilio auspicari possint. Ecquid porrò magis cõuenit decentiusue est, quàm de rebus sacris potissime loquuturos, diuini spiritus opem cælo deuocare: nihil plane. nos idcirco, ne ab optimis patrum nostrorũ institutis recessisse videamur, cõmunibus in primis optemus votis, quo benignus Domini spiritus, suis radiis omniũ nostrum animos collustret, verba mihi suppeditet, pariter & pectora nostra charitatis ardore inflammet, Gabriëlis eloquium offerentes: Aue gratia plena.

DE ASSVMPTIONE BEATISSIMÆ virginis Mariæ: Concio Capitularis.

T H E M A.

*Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.*

*Luc. 10.*



HRISTVS Dominus ac Saluator noster, fratres, paulo pòst, ex hoc mundo ad patrem recessurus, omnes palam pro sua inexhausta bonitate, vt se imitarentur, benignè inuitās, inter multa quæ loquutus est, hoc



quoque dixisse sacrum Euangeliū testatur: Si quis Ioan. 12.  
 mihi ministrat, me sequatur, & vbi sum ego, illic  
 & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit,  
 honorificabit eum pater meus. Et nonnullis inter-

positis, protulisse verissime dicitur: Pater, quos de- Ioan. 17.  
 didisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum,  
 vt videant claritatem meam quam dedisti mihi.

Proinde fœlices valde, qui relictis omnibus Chri-  
 stum sequuntur, atque ei seruiunt die ac nocte, in  
 sanctitate & iustitia omnibus diebus suis. Seruire  
 etenim Deo, philosophia est maxima, atque sapi-  
 entia summa, quæ amicos Dei homines semper red-  
 dit atque constituit, asseuerante Salomone, qui ait:

Infinitus est thesaurus hominibus sapientia: quo Sapi. 7.  
 qui vsi sunt, participes facti sunt amicitia Dei. Et:

*Vna salus seruire Deo est: (inquit ille) hæc gaudia sola* Verinus  
Florētius.  
*Vera putes, quorum gloria finis erit.*

At supra Dei amicos, & electos omnes, Maria  
 virgo, cuius in cælum assumptionem hodie læti  
 celebramus, hoc maximè præstitisse nemo secum  
 pressius perpendens ignorare potest. Quippe quæ  
 non solum quicquid in ea erat cordis & corporis  
 (sic nimirum partem optimam elegit) sed & quic-  
 quid erat operis & temporis Christi seruitio man-  
 cipauit: adeò vt nec Cherubin, nec Seraphin, nec  
 vlli ordines Angelorum, taliter filio Dei admini-  
 strasse inuenti sint. Siquidẽ eum propter nos ege-  
 num & peregrinum in hoc mundo factum, in tha-

Luc. 2.

lamo adornato, ipsius videlicet vtero virgineo, carne sua & sanguine induit atque vestiuit: in eius natiuitate infantulum algentem pannis inuoluit: vberibus virgineis & lacte proprio enutriuit: vagientem in præsepio, matrum piarum more consolata est, ac ei blandita: semper & sollicita, & manibus propriis laborans, vti ei in omnibus subuenire posset. Quæ nullum Angelorum ordinem, nec creaturâ aliam Dei filio præstitisse certum est. Omitto interea quot menses in vtero suo sacro eū gestauerit, quanta eum cura atque sollicitudine in Ægyptum timens ne & ipse quoque ab Herode à Magis illuso & in paruulos à bimatu & infrâ sæuiente, vnâ opprimeretur, subtraxerit: quâto timore, post obitum Herodis, ex Ægypto, tam longo itineris spatio, Nazareth eum reduxerit: quanto dolore ac tristitia pia mater & virgo affecta atque emacerata fuerit, quum parum abfuisse intellexerit (quantum in Iudæis fuit) quin à gente sua, semel atque iterum innocens lapidaretur, Et nonnunquam præceps ex montis supercilio daretur: Quum ab impio traditum, atque tanquam latronem ab impiis captum audierit: Quum ad Pilatum inhumane tractum atque ab eo horribiliter flagellatum, adeo vt à planta pedis vsque ad verticem capitis, nulla in eo fuerit sanitas, cognouerit: quum morte turpissima, nempe crucis, condemnatum conspiciata fuerit: quum cruci affixum, atque horrenda

Ioan. 8.

Luc. 4.

Ioan. 18.

Marc. 15.

Esai. 1.

Sapi. 1.

nece expirantem, stans iuxta crucem viderit. Hæc Ioan. 19.  
omnia temporis breuitati consulens, iam reticeo,  
paucula de eius in Domino obdormitione, ac in  
cælum assumptione, prout Deus mihi dederit, &  
temporis breuitas modo permiserit, eloquuturus.  
Beatissimam igitur & virginẽ & matrem Mariam,  
suam in Domino obdormitionem, & ex hoc mūdo  
transitum per reuelationem filij sui charissimi præ-  
sciuisse piẽ credendum esse, non sine causa à plerif  
que asseritur. Etenim si Apostolus Petrus, & varij 2. Pet. 1.  
alij, ex reuelatione Iesu Christi Domini nostri, in-  
stare corporum suorum depositionẽ intellexerint:  
quanto magis gratiam eandem matri suæ, supra  
dilectos reliquos amata, pientissimus eius filius Ie-  
sus Christus præstitisse credendus est? Ad hanc ita-  
que dormitionẽ suã, per humilem atque deuotam  
sacramentorum susceptionem prouidenter atque  
humiliter sese præparauit humilium omnium hu-  
milima virgo Maria. Nam humilitatẽ, quam sem-  
per amauerat, & de qua iã in Domino gloriata fue-  
rat dicens, Quia respexit Dominus humilitatẽ an- Luc. 1.  
cille suę, Ecce enim ex hoc beatã me dicent omnes  
generationes, quia fecit mihi magna qui potēs est,  
& sanctum nomen eius: humilitatem dico, quam  
semper amauerat, etiam in morte nõ deseruit, tum  
propter præcepti Dominici completionem, ne  
apicem vnum præteriret, quem opere non adim-  
pleret, tum propter summam nostrum omnium in-  
r. ij.

Damasse.

Exod. 20.

Ioan. 12.

Ioan. 17.

structionem, vt nobis videlicet in omnibus operibus bonis, & mandatis Domini exemplo esset. Sed & Deus, qui ei magna semper fecit, etiam in eius obdormitione atque morte, misericordiam suam cum ea magnificans, vniuersæ carnis viam absque dolore ac timore eam ingredi voluit. Siquidē omnipotens multū semper ac vbique pius, & misericors, bis in idipsum minimè punit. Ipsa verò pia mater, dolores, quos filium suum Christum Dominum pariendo, & ex hoc mundo emigrando effugit: In eiusdē sui filij passione nimium amara cōpatiēdo sustinuit. Ideoque in sui transitus hora ex hoc mundo, & animæ à corpore diuisionis tempore, nullo grauata est mœrore. Quin potius cum ingenti cordis & spiritus exultatione in Deo saluari suo, & gaudio maximo, inter orationis verba, in Spiritu sancto expirauit. Abierat quippe eius filius ex hoc mundo in ignominiosa passione sua, & gloriosa triumphalique in cælos Ascensione, & iam præparauerat in ciuitate Dei viuentis cælesti Ierusalem, matri suæ amatae locum. Et inde ad eam rediens, vt de honorando patre ac matre mandatum adimpleret, suam genitricem ad se sumpsit, vt vbi erat ipse, pariter & illa esset, vtque videret claritatem, quam ei pater dederat. Venerat etiam vna cum rege regum, ad eam militiæ cælestis exercitus immensus, Angelorum chori: electorum phalanges: cæli ciues: Et cūcti domestici Dei, quos secum

in gloriã duxerat, & super omnia bona sua consti-  
tuerat, quando ascendit super omnes cælos, vt ad Galat. 4.  
impleret omnia. Qui cuncti pariter congregati,  
cantabant coram ea laudes Dei, & manibus plau-  
debant læticia inenarrabili exultantes de impera-  
trici ipsorum in cælum assumptione. Nulla lingua  
verbis potest æquare dicendo, nec mens humana  
percipere cogitando, quanto cum gaudio & ho-  
nore, quantis laudum canticis, anima illa longe  
beatissima, in locum ante mundi constitutionem  
ei præparatum, in dextera maiestatis gloriæ filij sui  
Iesu Christi est deducta atque collocata. Nec id  
rationi dissentaneum, sed valde congruum fuit.

Nam si anima Lazari pauperis summa lætitia An- Luc. 16.  
gelicis manibus celeriter in sinum Abrahamæ est sub-  
uecta, quantò magis Dei mater, Regina cæli, An-  
gelorum atque cælicolarum omnium imperatrix,  
maiori triumpho erat in cælum perducenda atque  
sublimanda? Sed & mox gloriæ habitu, non sim-  
plici quidem est vestita, sed duplici stola est dotata,  
nempe corpore & anima pariter gloriosa effecta.

Hæc nimirum pars est optima, quam virgo mater Luc. 10.  
elegit, quæ nunquam auferetur ab ea. Sic ergo  
Maria virgo super omnes choros Angelorum ho-  
die exaltata, ascendit in locum prædestinatũ gloriæ  
suæ, atque iam proxima filio suo Christo Domino,  
in eodem sedet loco, pro nobis miseris peccato-  
ribus perpetuò intercessura, vt eius intercessione

nos, cunctosque fideles, optimæ partis compotes, id est cælestis Regni participes efficere dignetur idem filius eius Iesus Christus Dominus noster, qui cum patre in vnitæte Spiritus sancti regnat, per infinita seculorum secula Deus.

DE SANCTO BERNARDO

CLARÆ VALLIS ABBATE:

Concio Capitularis.

THEMA.

*Euge serue bone & fidelis, quia super pauca  
fuiſti fidelis, supra multa te constituam:*

*intra in gaudium Domini tui.*

*Matth. 25.*

**V**ERERE ex hoc loco de laudibus Beati Bernardi Patris nostri, verbis pluribus iam differere, fratres, si suspicarer verborum splendorem pluris apud vos fieri, quàm ipsam rei veritatem, verbis nudis, eisque breuibus explicatam: præsertim quum norim pleròsque huius honesti cœtus viros, qui me & ingenio, & doctrina longo interuallo superant, ante hac de eiusdem laudibus, frequentius, prudenter, copiose & ornatè verba fecisse: atque insigniter adeò & splendide, vt nihil eorum prætermiserint, quæ ad locupletandam concionem, honestandam-

que conducere posse videantur. Nihilo tamen minus, quia id, quicquid est officij à patribus meis, quibus refragari sine dispendio famæ meæ non potui, in humeros meos impositum esse conspicio: vestra omnium solita humanitate ac beneuolentia fretus, in eo, quod habeo, mox depromam, viduam illam pauperulam Euangelicam duo minuta offerentem imitatus. Interea mihi persuasum habens, vos ea quæ ex tenuitate & penuria nostra afferentur (tanta est in vobis spes mea) nõ minus grato animo accepturos, quàm ingentes illas eorum diuitias ac thesauros concionandi magnificos accepistis qui ante me in eodem negotio versati sunt, & de eodem sæpius dixerunt. Ipsi verò ex eo quod eis abundabat larga manu effuderunt. Nos etiam nunc quod habemus, Deo nostros conatus adiuuante, non grauatè dabimus. Idque fiet these adducta, Euge serue bone & fidelis, quia super pauca Matth. 25. fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Si prius tamen eum ipsum qui in omnes diues est, qui inuocant eum, ac eius matrem semper virginem illibatam cõprecati fuerimus, quo mihi cælitus infundant, quæ mihi loquenti honesta, vobis quoque audientibus frugifera sint, Gabrielis eulogium offerentes: Aue gratia plena.

DE SANCTO BERNARDO,  
CLARÆ VALLIS ABBATE:  
Concio Capitularis.

THEMA.

*Euge serue bone & fidelis, quia super pauca  
fuiſti fidelis, supra multa te conſtituam:  
intra in gaudium Domini tui.  
Matth. 25.*

**S**ENTIRE videor equidem nunc, fratres, timorem omnem qui in initio animum meum perculerat, mihi penitus ademptum esse: Idque omnium vestrūm silentio, ac beneuolo conspectu fauorem indicante, factum esse intelligo. Prospiciens interea latum campum, in quo exspatiari dicendo possum, & ita amplum vt quamuis periti aliquot ante me dixerint, minime tamen dicendi materia, aut verba sint mihi cito adeò defectura. Interim tamen mecū decreui, multa & varia breuitatis causa prorsus prætermittere, quæ non parum splendoris diui Bernardi laudibus viderentur allatura, & auribus vestris quoque forsitan placitura, etiam si nullis verborum lenociniis ornarentur, aut phalærum concinnitate vestirentur, sed vocibus nudis, & ab omni elegantioris phraseos cura anxia semotis denararentur. Non enim libet Bernardi parentes, & ea



quæ eius natalem præcesserunt, in præsentiarum commemorare: neque Burgundiæ, natalis eius soli claritatem, nobilitatem, antiquitatem auribus vestris ingerere. Quum tamen habeat Burgundia nobilitatem antiquissimam, & antiquitatem nobilissimam, nimirum regiam, uti varij non vulgaris, aut aspernandæ authoritatis scriptores literis testatum reliquerunt atque prodiderunt. Nec etiam mihi est animus modò decantare magnifica diui Bernardi maiorum, auorum, aut parentum stemmata, eorùmve feracissimæ ditionis amplitudinem, diuitiarum copiam, & pleraque alia in memoriam reuocare. Sed illis omnibus omissis, potius eius eximias aliquot animi virtutes nunc commemorare pauculis, & quasi obiter perstringere constitui, quæ verius censei debent ipsius Bernardi esse (nam ei diuina gratia tributæ) quàm ea omnia, quæ maiorum, aut parentum opera fuerunt ei comparata. Miram scilicet ingenij dexteritatem, morum suauitatem, mansuetudinem, religionem denique & vitæ puritatem. Quæ, quàm breuissime quum perstrinxero, post nonnulla suscepto argumento non adeò dissona, finem dicendi faciam. In Bernardo igitur adhuc puerulo, præter quòd tam fœlicis indolis fuerit ut artes liberales sit magna ex parte in pueritia assecutus, relucebat eximium quoddam diuinæ virtutis indicium, ita ut nemini iam esset obscurum, eum Spiritu sancto esse plenum,

diuinitúsque diuinis mancipandum . Vbi verò è pueris excessit , factus iam adolescens aspectu decorus, & ætate paulo grandior , corpore robustior, mente quoque senior: Auorum suorum stemmata nihili faciens : Parentes, quantumuis maiorum fascibus & hac mundana vita claros illustrésque: ditionis paternæ amplitudinem , diuitias, mundum denique, & ea quæ in ipso sunt omnia fugiens, Cistercium locum sacre religioni pridem consecratum, viginti duos plus minus annos natus, sese recepit, Christi iugo suaui collum suum submissurus. Eò etiam plurimos, eius virtutis, & vitæ integritatis amore & admiratione accensos, pertrahens, & ad exèplum sui quasi cogens. Vbi cum illis tam piè, mansuetè ac religiose vixit, vt paucis pòst diebus Claram-vallem missus sit, dignus utiq; Abbas & pastor multarum animarum non sine numine creatus. Quod munus, vix cuiquam credibile est, quanta prudentia iuuenis, quanta cura & solitudine, die noctúque administrarit, maturè intelligens, de grege sibi commisso, iudici summo aliquando reddendam esse rationem. Et proinde huius rationis reddendæ semper memor, terrore illius comminationis diuinæ sæpius est percussus, qua magis expedire per Euangelistam dicitur, vt collo mola asinaria suspendatur, & in profundum maris demergatur, vnum ex pusillis scandalizanti. Sæpe illud quoque conterritus secum tacitus cogitabat,

Marc. 9.

quid in extremo iudicij die fiet homini, totum gregem, quantum in se est, deperdenti, si viro vnum pusillum scandalizanti, tam graue supplicium ac saeuerum decernatur. Quamquidem sententiam vtinam ante oculos ponerent plurimi huius nostri temporis pastores, nimium desides atque segnes: & qui pastoralem functionem temerè nimis accedunt. Profectò nō tam frigidè oues suas, tam longo interuallo toties subsequerentur, sed ardentius sinceriusque suis praesent ouibus, casque frequentius anteirent, simul & negotium Euangelicum castius agerent, verbis vitaeque praedicarent, & Bernardum ore ac moribus propius referrent. Bernardus vtique minime sub modio reconditus, sed lucerna lucens & ardens in domo Dei, non passus est scrutarios, & bonorum temporalium proxinetas, sacrae religionis, & disciplinae ecclesiasticae profanatores, non per ostium ingredienti, sed aliunde in ouile perumpentes pedem ponere, verum vt decuit, abactos eos profligans, omni ingressu strenuè prohibebat. Siquidem honestatis ecclesiasticae, & religionis tuendae gratia, nec ipsi summo in terris pastori, pontifici Romano Eugenio tertio, perparcit, quem multis verbis, hisque peracerbis obiurgauit, pro symonia, pro turpi quaestu, & avaritia, inter alia vitiorum genera, è Romana curia nō extirpatis. Sed vt increpationes eius in Eugenium Papam omittamus, quem laborem non subiit Ber-

Lib. de cōsi  
de ad Euge  
Papam.

nardus etiam inter varia alia Ecclesię negocia gra-  
uia, & variè vrgentia, vt multiplicem hæresim tūc  
temporis exortam, & malignas vocum sensuum-  
que nouitates prorsus euelleret ac dissiparet? quam  
diligentiam non adhibuit, vt Petri Abailardi sectā  
pernitiosam funditus extingueret? In quod nego-  
cium tam strennuè incubuit, vt ipsi Abailardo,  
eiúsque errorum sectatoribus cunctis perpetuum  
silentium imposuerit. At verò Bernardo nostro,  
feruo Domini bono & fideli, supra multa consti-  
tuto, id est, æternum gaudium ingresso, confestim  
inuenti sunt nonnulli, & hac nostra ætate etiam-  
num inueniuntur Bernardo valde dissimiles, quip-  
pe qui prædicant verbis, moribus, & vita tota, non  
quæ ad Christi gloriam, & veram sacræ religionis  
honestatem facere agnoscuntur: sed quę conducere  
potius videtur ad venanda sacerdotia ampliora, ad  
illaqueãdas dignitates, ad irretiendos episcopatus,  
& alia his nõ multū dissimilia. Bernardus verò Pau-  
lum Apostolum imitatus, vocationem suam ob o-  
culos suos semper habens, minime ad quæstū suum  
vitam aut mores instituit, aut quæstus gratia præ-  
dicauit, sed pectore sincero, verbum veritatis tan-  
quam ex Deo profectum tradidit in Christi glo-  
riam. Non tamen isthæc à me dicta existimetis ve-  
lim, fratres, vt quēquam acerbius taxem, aut acrius  
perstringam, tantū abest vt de omnibus loquar. Nõ  
enim inficias ierim permultos animarum rectores

etiam hoc nostro æuo reperiri, qui à veterū patrū,  
 & maiorum suorum præceptis institutisque, & re-  
 ctitudine vitæ, honestate denique morum haud-  
 quaquam desciscunt, sed suo munere legitimè fun-  
 guntur. Sed hæc pauca, quòd ægrè feram quorun-  
 dam vitam totam, ac linguas quas deceret ex offi-  
 cio docere regnum Dei, seruire & immergi, pene  
 dixerim, regno mundi: simulque quòd orbi Chri-  
 stiano exoptarem multos Bernardos pastores dari.  
 Arbitror sanè, quòd quemadmodum Abailardus,  
 & plerique alij Bernardi vitæ integritate, morum  
 suauitate, doctrinæ sanctitate, aliisque virtutibus  
 propriam heresim (quo vitio, nullum serpere latius  
 hoc nostro sæculo videmus) & inquinamenta alia  
 respuerint, atque conculcarint: Ita quoque facili  
 negotio effici posse, si multi, inquam, essent Ber-  
 nardi, vt permulti malè affecti, multorum Bernar-  
 dorum moribus candidis, & vita incontaminata  
 allekti atque incitati, ab eorum erroribus, & vitiis  
 aliis reuocarentur, & sese ad frugem reciperēt me-  
 liorem, qui corruptis, & deprauatis moribus nostris  
 exacerbati, quotidie in peius labuntur, atque de-  
 uoluuntur. Qui tamen malè de rebus humanis iu-  
 dicantes, minimè sunt excusandi. Quanquã enim  
 quotidiana ista vulnera dolentius sint deploranda,  
 quòd videamus complurium Ecclesiasticorum vi-  
 tam ac mores malè audire, multumque nocere Ec-  
 clesiæ, & frequentibus scandalis eius decorem can-

1. Corin. 10.

dorémque deformare, non tamen idcirco ab Ecclesia, quæ semper dilecta Christi sponsa indiuidua fuit, est, & erit, debemus deficere, sed potius eam quisque certatim, & pro viribus propugnare. Nam cuiusdam, penè dixerim, dementia est, nos, in quos fines sæculorum deuenerūt, statum rerum aliquem, aut politiã absque morbidis prorsus vitiis statuere. Quod omnium ætatum exēpla multo plura quàm ipse vellem, ostendunt, dum legimus, & etiam nunc oculis intuemur, inter pleraque alia non parum dolenda, parentes pleròsque liberos suos in cunis adhuc vagientes, Ecclesiis bene dotatis, & curæ pastorali impudenter nimis per fauorē principum, & magnatum præficere. Et eos ipsos parentes, Ecclesiarum proventus amplissimos, in equis, canibus, scurris, & aliis non adeò dissimilibus, nepotū more obligurire. Voce interim plusquã Stentoria conclamitātes, Ecclesiarum & Monasteriorum vberes proventus in hospites, & pauperum subuentionem cedere debere, eorū subinde filiis, egregiis videlicet animarum pastoribus, ore butyro litis (pueri enim sunt) pulte lactea contentis. Quæ omnia, quando quidem propter peccata, & scelera nostra obtigisse videamus (nihil verisimilius mihi omnia reuoluenti, cōiicere possum) quid aliud quàm ea deflare possumus? simul & orare, quo nobis exsuscitet, ac tandem concedat pastorum princeps, & princeps regum terræ, Christus Do-

minus, pastores aliquos integros & spectabiles, qui his vitiorum portentis sermone, moribus, & vita fortiter reclamant: sacram religionem, ac dignitatem Ecclesiasticam vniuersam, in formam meliorem redigant: hominum malè affectorum mentes castigent, & autoritate reprimant: hereticorū, & scismaticorum sacram religionem, atque adeò totum christianismū ludicris scriptis ludificārium sectas longè à finibus nostris ablegent atque arceant: solos animarum pastores rectorēsque dignitati pastoralis idoneos constituent: Pastores bonos & fideles, suis ouibus pabulum dantes, verbis & exemplo in tempore suo. Dum autem viueret Bernardus noster nihil summi pontifices, nec Ecclesiarum prælati alij, absque eius consilio definire in Ecclesiæ Christi causis volebant. Nihil reges, principes, magnates (ad quorum omnium etiam discordias tollendas, & negotia ardua conficienda, adiuuante Dei gratia, quàm aptissimus natura fuit, & talem sese semper præbuit) contra matris Ecclesiæ decreta, & sacros canones temerè attentare ausi sunt, zelum Bernardi semper reformidantes. Quæ vera esse omnia, certissime sciet quisquis eius vitā fidelissimè mandatam literis, & scripta eius propria, gestaque (extant autem) diligentius perpenderit. Qui profectò si modo superuiueret, non irruerent tam insolenti superbia in vineam Domini tot sacrę religionis osores, ne dicam dissipatores, non tam

scirent impunè in matris Ecclesiæ præcepta, &  
 canones sacros tot heretici, tot scismatici, tot pseu-  
 dochristiani. Quid? vultis me paucis rerum per-  
 stringere summam? Non inuaderent gregem Do-  
 mini tot lupi rapaces. Et proinde nihil vtilius Chri-  
 sti Ecclesiæ vniuersus Christianæ ditionis orbis,  
 hoc nostro tempore parum fœlici, haberet. Verùm  
 quid ego pluribus verbis querar? Nec enim possum,  
 nec volo aliud modo dicere, nisi quod plerisque  
 dici solet: naturam coruis & cornicibus rapto vi-  
 uentibus vitam diuturniorē dedisse, quorum nihil  
 interest salutis hominū: hominibus verò, quorū ma-  
 ximè interest salutem hominum curare, vitam qui-  
 dem, sed perbreuem concessisse. Inter rectores verò  
 animarū, dū memini, te nūc nomino, ROBERTE  
 pastor vigilantissime, quamuis iam in præfulatu tuo  
 procul à nobis abes, gregi tuo inuigilans, & stren-  
 nuè sedulòque adimplens (si quisquam alius) mini-  
 sterium à Domino Deo tibi commissum (panem  
 verbi Dei intelligo) vt fidelis dispensator, talenta  
 tibi concredita ad Dominum cum lucro in fine re-  
 portes. Vt autem reuerentiam tuam ex hoc sugge-  
 sto nominē (alioqui maior, quàm qui à me ex hoc  
 loco nominari debeas) eo facilius sum adductus,  
 quo te ab his vitiis atque inquinamētis quæ paulò  
 ante commemorauī, prorsus abhorrere, & alienum  
 magis ac immunem esse mecum agnorunt, qui te  
 intime nouerunt omnes. Et quo maiorem adhi-

Ad Episco.  
 Orchaden-  
 sem, in epi-  
 scopatu suo  
 Verbū Dei  
 feminātem,  
 per apostro-  
 phen.



bes diligentiam in euellendis, & propulsandis ab  
 ouibus, à summo pastore tibi concredit, vitiorum  
 (si quæ fortè succrescant) spinis: simul & ferendis,  
 aptè radicandis, alendis, & promouendis omnium  
 generum virtutibus vigilantio rem te præstas. Et  
 enim pastor minimè segnis, diligentissime pro-  
 curas, vti decet seruum Domini bonum & fidelem,  
 ne ouibus tuis vsquam desint iusta pabula ac ali-  
 menta. Idque præstas verbis & exemplo, hoc nostro  
 æuo inuētū raro, nempe doctrina, moribus, & vita  
 tota, cum magna non solius animi tui, sed & ouiu  
 tuarum, eorū videlicet qui tuæ curæ pastorali sub-  
 diti sunt, lætitia atque voluptate, non iam tibi, sed  
 ouibus tuis viuens. Quod profecto est verè episco-  
 pum agere, & quàm maximè tibi viuere. Cæterū,  
 ne fortè arbitreris, vel quisquam alius, me velle tibi  
 iam hisce verbis ex hoc suggesto sacris concionibus  
 consecrato ad blandiri, si quando huius concionis  
 meæ rumor ad notitiam tuam, aut illius fortè per-  
 uenerit, scias velim me, multos habere in hac re  
 eiusdem mecum sententiæ viros, eosque spectatæ  
 fidei, & testes idoneos satis, si res in controuersiam  
 veniret (tibi autem testis est sufficiens, & satis glo-  
 riæ sola mens conscia recti: nec testimonium aliud,  
 nec gloriā requiris). Nullum siquidem in hoc toto  
 cœtu adesse video, qui adactus iuramento, non  
 eisdem verbis meis (ita sanctissime deierare me  
 posse arbitror) in primis subscribere velit. Deinde

nec tuorum quemquã suspicor, Præsul dignissime, tam amentem, insolentérque vesanũ, qui vel tecum domi versantur, & operũ tuorum familiariter spectatores fiunt, vel etiam qui foris perpetuò tecum degunt, qui mihi in hac causa refragari possit. Nec aliquem alium denique (modo probus sit, sanique iudicij) qui aut velit, aut (conscientia propria reclamante) audeat. Vt non tam planè, quàm verè, verissime tamen de te scripsisse videatur, non contemnendi iudicij, aut eruditionis triuialis quidam, quum inquit:

Ant. Bardol *Quid tentem angusto perstringere carmine laudes,*

*Quas nulla eloquij vis celebrare queat?*

*Clarus es eloquio, calo dignissime Præsul,*

*Antiqua generis nobilitate viges.*

*Commissumque gregem pascis, releuásque iacentem,*

*Exemplo ducens ad meliora tuo.*

*Ac velut exoriens terris sol discutit vmbra,*

*Illustras radius pectora caeca tuis.*

*Hortaris tardos, obiurgas, corripis omnes,*

*In mala præcipites quos vetus error agit.*

*Pauperibus tua recta patent, tua prompta voluntas,*

*Atque bonis semper dextera larga tua est.*

*Nemo lupos melius sacris ab ouilibus arcer,*

*Ne Christi lanient diripiántque gregem.*

Cæterum scio te exoptare virtutes tuas, laudésque omnes occultari potius, & tua folius cõscientia latere, quàm vllius præconiis promulgari: alioqui

dignæ, quæ inclytis literarum monumentis consecrentur, ac in exemplum posteris, quasi scopus vitæ rectoris proponantur. Ideoque, ne panegyricum absentis potius videar, fratres, quàm concionem afferre capitularem, hîc rei huius finem faciã. Te etiam paucis nunc compellabo, non absentem, vt patrum tuum, sed præsentem, & iam me cupide studiosèque spectantem, Galtere Abba reuerende. Et inter compellandum te, dicerem, ætate quidem iuuenem esse, sed moribus & vita non item. Literarum quoque tam Græcarum quàm Latinarum, præter alias tuas dotes egregias, peritia insignem, si non metuerem adulator existimari, viderique velle te coram & in os laudare, & parasiti instar verbis titillãtibus aures tibi demulcere. Itaque quia illa in apertũ ex hoc loco proferre non decet eum, qui te à primordio adolescẽtiæ tuæ summo suo studio ad ea ipsa instigauit, stimulos meos tibi additos libens supprimo, malens virtutes tuas cunctas, immẽsis laboribus tuis, vigiliisq; vix credibilibus integrè ascribi, quàm earum partem vel minimam vllis submonitionibus meis imputari. Nunc autem aliud (quod mox audies) institui. Quanquam sum tibi in Christo filius, subditusque (Galtere Abba reuerende) & proinde minoris authoritatis ab aliquibus fortasse iudicor, quàm qui te abbatẽ meum, ex hoc loco officij tui admonere debeam. Spero tamen te, si bene te noui, non agrè laturum, si ego

& præceptoris tui nõ omnino, vtireor, pessimi iam olim ὃ ἔ παδραγωγῆ pariter officio defunctus tui iam muneris, & honestatis te cõmonefaciam, quem cognitum, & fidei meæ semel commissum sanctissime semper amaui, quem semper mitius foui, quẽ pari loco semper habui, quo patres filios habere solent, aut si quid filiis patribus charius esse potest, obganniente nequiter tenebrionũ ac veteratorum quorundam improba vafricie, quæ non semel, nec simpliciter insidiata est simplicitati tuæ. Et quæ memet quoque, (nulla vnquam à me quod sciam laceffita iniuria) insidiosa calliditate, & ea multiplici sæpius insectari minime erubuit. Quo fructu tuo, expertus nosti. Quo merito meo, nouit scrutator cordium Deus. Cæterũ nihil præmij (ne suspiceris me hisce verbis ingratitude te arguerẽ velle) aut muneris à te exigere, aut dicendo extorquere iam est animus, pro beneficiolis, si quæ fortè in te aliàs contulerim. Non enim ingratitude vllius, aut volo, aut meritò possum te incusare. Sed propositum est mihi modo paucis te ad quædam eorum cohortari, quæ sæpius tibi persuadere, nullis testibus adhibitis, totis ingenij viribus, toties sum conatus. Ea verò quæ sint tandem accipe, ac mecum in memoriam redi. In primis igitur non debet te latere, Abba, quàm arduum & graue onus tibi ipse imposueris, quum multarum animarũ curam spõte tua susceperis: quarũ omnium extremo die, æquis-

fimo iudici Deo rationem reddere non leuiter, sed exactissime, cogaris: haud dubiè, additæ & tuæ ipsius animæ. Nec etiam ignorare potes, quàm sit animæ tuæ periculosum, talenta tibi tradita, ad Dominum sine lucro reportare (propositum tamen modo mihi non est multa in hoc inculcare, vt pote, de verbo Dei seminando, ne concio longitudine sua vergat in fastidium. Nam hæc ipsa, & similia, aliàs & opportunè magis), Quæ, quū ita sint: ad exemplum aliquod eximium, tanquam ad scopum rectiorem, atque speculum lucidum te totum, vitamque tuã dirigere, atque actiones tuas omnes conformare oportet, vt bene tibi sit in primis: deinde, vt animabus curæ tuæ concredis, bene præesse scias. Quum autem hominem cupientem artis cuiuscunque aut disciplinæ peritiã, quasi perfectã tenere, peritum artis illius, aut disciplinæ tanquam exemplar aliquod egregium, pro viribus imitari oporteat: quanto magis necessarium credendum est, homini religioso & Abbati vitam morésque ita instituire, vt bonum quemque & religiosum imitetur, & viri huius vestigiis perpetuò insistere nitatur? Hoc idem tibi, Abba, faciendum iam, si me audis, plane censeo. Verum tu fortasse anceps animi, subinde ex me sciscitaris quem potissimum hominum archetypum primariũque tibi proponam imitandum. Longe ambages certè, sed summa sequar fastigia rerum. Benedictum haud dubiè, aut

Bernardum patres nostros, si potes, in primis. Sed quia scio me non tantę esse eloquentiæ, vt tibi persuadere id valeam, quod Bernardus ipse, quantumuis facundus, dum adhuc viueret, multis tuę sortis persuadere nequiuit : proponam tibi non Benedictum, non Bernardum, non Antonium, non Hylationem, nec quenquam ex grege veterum patrum mortuorum, sed viuum aliquem ostendam, eumque non longè abs te semotum, non autem ab Ægypto, Cypro, Alexandriæve per mare ac terras euocandum (Rogo vos, fratres, ne ægrè patiamini, si in his longius progrediar, & plusculis verbis iam agam: de quibus profectò dum memini, iam tacitus prætercurrere nō possum) hominem, inquam, adhuc viuum ostendam, Patrem Reuerendum ROBERTVM EPISCOPVM ORCHADENSEM non raro tecum sermones commiscentem, & communicando admonentem. Eius vestigiis insistas velim, eum moribus & vita tota exprimere te exopto, eum Archetypum & vitę tuę normam die ac nocte ob oculos proponere suadeo. Quem si imitatus semper fueris, in primis, nihil vnquam inconsulte, mihi crede, nihil tumultuāter, nihil minus considerate, sed omnia moderate ages. Dicta ac facta tua cuncta, modestiam quandam & constantiam eamque maturam semper sapient. Nosti enim nobiscum, Abba, quod omnes nos tecum cognoscimus, quàm nusquam præcepti sit pa-

truus tuus, quàm nusquam temerarius, neque faciens, neque dicens (tanta est eius integritas atque comitas) nisi summa cum laude & dignitate. Vides quanta prudentia, quanta sedulitate, quanta cura operam semper impendit extirpandis radicibus & euertendis vitiis, si quæ fortasse apud ouilia sibi concredita suppullulent. Quantam diligentiam adhibet, homo natus ad virtutem, seminandis, propagandis, atque prouehendis vbique virtutibus, vt omittam interim ea, quæ multo maioris negotij sunt, quàm quæ concioni capitulari à me inferi atque coaptari aut valeant, aut debeant: qua æquitate, fide, integritate, religione, quantum ratione prouideri potest, totius Reipublicæ Scoticanæ incolumitati semper consulit. Qui & in hoc à Rege illustrissimo Iacobo, huius nominis quinto, adhuc pubescente, à negotiis suis priuatis, ad publica Regni munia obeunda atque tractanda, inter alios illustres, & iurisprudentiæ maximè eruditos, probatissimæ denique fidei viros, multo ante quàm tu in hunc mundum nascerere, euocatus, non certè volens, aut quicquam tale apud Regem, aut regni proceres ambiens, Nec tamen adolescenti generosissimo, eidemque regi nobilissimo multum reluctans, aut onus illud respuēs Reipublicæ Scoticanæ causa, quam priuatis commodis anteponendam semper duxit: Et tam multis Regni negotiis, eisque transigi difficillimis, partim in ipso regno Scotiæ,

partim verò apud exteras nationes varias pro votis omnium in hanc vsque ætatem defungens, nec vnquam, aut domi, aut foris, vel in rebus minutissimis, humani generis fœdera lædere est visus: nec minima conscientiæ labecula detentus: Nimirum nihil perperam, aut contra æquum ac bonum vel sola cogitatione vnquam admittens. Præterea tibi perspectum est, quàm sagaciter operam nauat, auertere, dissipare, ac prorsus extinguere opiniones reprobatas, dissectasque ab Ecclesia Christi sectas, & quæstionum inutilium labyrinthos, quos hisce turbulentis exulceratisque temporibus, grassari vndique videmus. Quàm non erumpere nouitates illas licentius, euagari longius, plus roboris sumere, altius radices agere sinit ( neque opus est modo tibi recensere his longe maiora, nempe templa in laudem diuorum, partim à fundamentis per eum erecta, partim verò structuris & tabellis magnificis augustiora facta. Non enim iacent in tenebris abdita hæc, sed conspicua sunt, & in luce omnibus exposita). Nosti insuper, quæ libèter, quàmque modestè secedere soleat, quum licet per grauiam amicorum, & aliorum aures eius pulsantium negotia, & occupationes alias plurimas, quæ aut rarissimè, aut nunquam ei desunt, ad literarum sacrarum lectionem, diurna secum meditatione quàm suavis est Dominus degustans, & pectus suum Bibliothecam Christi efficiens, vt ouibus suis diuini verbi



pabulū bonus pastor debitè subministret, nullū vel breue tēpusculum in vanū præterlabi permittens: tantū abest vt in otio, aut fabulis quod superest tēporis, cōpluriū more, trāsigere velit. Quàm frequētes verò & suaues sint eius delicię, preces, Euāgelia, psalmi, cātica, & alij sermones Dei, iādudum exploratū habes. Videt autē vir prudens, & integer, diligentérque cōsiderat sibi cōtigisse huius mundi honores, diuitias, dignitates, & alia plurima temporalia: sed his omnibus, mortis & rationis reddendæ summo iudici semper memor, non fruitur tanquam dominus à mundo, sed tanquam minister & bonus dispensator, à Deo acceptis. Non enim honoribus (quæ rara auis est) superbit, aut intumescit, diuitiis affluentibus animum non apponit, fœlicibus rerum successibus minime insolescit, dignitatibus, & donis aliis temporaneis non excæcatur, nulli prorsus voluptatum generi vnquam seruit: sed ea omnia decenter & modestè contemnendo aliis impartit, dicens cum Iobo: Nudi venimus in hunc mundum, nudi discedemus. Multi autem multos iam annos sunt experti, & singulis fere horis nonnulli experiuntur, quàm paterna cura & sollicitudine, ipse quasi egenorum & desolatorum pater non solo consilio & verbis solari, & confirmare solet desertos ac desolatos, sed quàm benignè rebus etiam & auxilio adiuuare consuevit, rectissime iudicans beneficium illud egregiè repositū in diem

Iob. 1

illum retributionis, quod in alterius calamitatibus humaniter & benignè ipse modo confert atque erogat. Id, quid est aliud, Abba, quàm verè monachum & religiosum esse? quin potius in medio mūdo positum, mundo, & his quæ in eo sunt verè abrenuntiare? An non is dignus & aptus, cuius vestigiis perpetuò insistas, cuius vitam ac mores semper imiteris? Non enim est necesse iam tibi enumerare alia plurima charitatis opera, in quibus exercetur eius beneficentia, veluti est pauperum, inedia simul & annis oppressorum, corporali alimonia pia subleuatio. Puellarum, quibus tenuiores sunt fortuna, quàm vt possint exoluere dotem, honesta in matrimonium collocatio. Generosorum pectorū adolescentulorum complurium, in studio literario munifica enutritio. Vehementis illius amoris & ardoris literariæ negotiationis, quos iam inde ab initio, & ætate adhuc tenella cœpit, tenax retentio, magnæ liberalitatis in bonarum literarum amatores, & earū professores exhibitio. Et huiuscemodi multa, quæ dinumerare longū esset. Hæc autē sunt in quæ oculos tuos in primis defigas, optarem. Hæc quæ vellem te noctu diēque cogitare, animo voluere, totis viribus imitari. Hæc enim sunt quæ te decent. Hæc tibi, tuique similibus qui pastorem functionem, quæ cælestis & diuina est, subiistis, necessaria comprobantur. Sed vnum hoc iam tandem memoriā meam subiit, quod omniū primum

dixisse me oportuit: Patrum tuum diuitias reli-  
 quas, quantumlibet multas, non tanti facere, quãti  
 adamatas bibliothecas (quarum vnã Kynlossen-  
 sem, quo te melioribus literarum disciplinis, quum  
 vacat, oblectes, manibus tuis nuper commisit) ex-  
 quisitissimis quibúsque libris abunde instructas.  
 Non autem castella, non palatia, licet episcopo  
 etiam magnificentissimo digna: non ædificia alia  
 varia, & variis in locis magnificè fatis per eum e-  
 recta atque decenter exornata: non aurum, non  
 argentum, non agros, non equos, non vestes, non  
 lapides pretiosos. Prorsus nihil denique optimis  
 libris vnquam præponit. Qui, quanto plura, eaque  
 optima cuncti generis meliorum literarum volumina,  
 nullis parcens sumptibus, huc quotidie diligenter  
 congerit: tãto pauciora semper se habere, & palam  
 coram doctis dicere solet & estimat. Scio equidem  
 ex gestu corporis tui, & tuorum oculorum mo-  
 tibus quid apud te ipsum iam tacita cogitatione  
 reuoluis. Etsi non potes omnia patrum tui benefa-  
 cta, à me modo connumerata, pro voto tuo & alio-  
 rum, in omnibus adæquare, eò quòd non sit for-  
 tasse tibi tanta rerum opulentia, atque copia. At  
 saltem illud diligentissime procura, & pro faculta-  
 tibus age, ne illius magnificentia, aut vlla eius vir-  
 tus alia, inertia tua atque socordia, obfuscata ab ho-  
 minibus merito censeatur: sed cõdecoretur potius.  
 Imitare idcirco, Abba, si me audis, patrum tui, pro

facultatibus à Deo tibi concreditus, in primis eius munificentiam. Deinde summam eius prudentiam, mansuetudinem, patientiam, sed ante omnia eius castimoniam atque vitæ puritatem. Nihil horum te prætereat quæ lex tua præscribit, in animabus regendis atque saluandis curæ tuæ cõmissis. Æstima ante omnia rectum melioris vitæ progressum, à te ipso verbis & exemplo semper incipere debere: Et tunc te filiis in Christo, subditis tibi rite & decenter dominari posse, si tibi ipse prius scias ritè & decenter imperare, hoc est, parem verbis vitã agere. Persuasum habens te his modis, tibi in primis optimè consulere, gregi quoque tuo bene ritèque præesse. Nam ea demum institutio bene rectèque viuendi digna est cui fides adhibeatur, & cui incũctanter etiam pareatur, quum instituentis atque docentis vita tota congruit sermoni. Abbas vocari, viderique gaudes. Da operam diligentissime, vt verè is sis qui videri vis & vocari gaudes. Procul absit quantũ in te est omnis fucus. Etiam atque etiam cogita atque considera, cui prouinciæ præfectus sis, & in quàm excelsum honoris gradum ascenderis, vt huic omni ratione satisfacere studeas. Rationes omnes tecum in eas, quibus Abbatis nomen, famam, laudèmq; sustinere, tueri & retinere possis. Vt existimes te animarum custodem, patrem multorum, non tyrannum. Recogita te dicta & facta tua omnia ad Rempublicam sacri or-

dinis tui & religionis semper referre debere, non  
 autem ad priuatam cupiditatem tuam vllam, aut  
 libidinem. In summa meditare, & pro viribus eni-  
 tere contendéque, vt magna illa patru tui om-  
 nis probitatis viri de te expectatio, quam inde ab  
 initio cœpit, perpetuò floreat vigeatque, vt nos  
 cuncti, te rectorem, tanquam ducem dignum ve-  
 neremur, insectemur, atque obsequamur: quò  
 isthæc domus tibi, tanquam rerum diuinarum ex-  
 perientissimo moderatori concredita, crescat, au-  
 geatur, & continuè illustretur. Quæ honestate, in-  
 nocentia, integritate, etsi non anteferenda: certè  
 nulli in Regno Scotiæ hactenus postponenda ve-  
 nit. Si autem quæ dixi (quanquam sunt & alia in  
 patruo tuo argumenta non pauca, quæ te ad eum  
 imitandum, etiam me tacente, adhortari, admo-  
 neréque possunt, & debent) si ea, inquam, quæ  
 modò dixi, nihili pendas, quod equidem spero nō  
 futurum, non solum te, gregémque tuum in ma-  
 ximum periculum coniicies: verumetiam nomini  
 tuo perpetui dedecoris & ignominia notā, ac ma-  
 culam nullo seculo eluendam haud dubiè inures  
 penitus, atque imprimes. Addito & hoc: præcla-  
 ram illam patru tui famam, ac probitatem partim  
 à suis maioribus acceptam, partim verò propriis  
 virtutibus nō modice adauctam, qui te domui huic  
 honestæ religiosæque familiæ, nostro (tantus est nō  
 solum in patrum tuum, sed etiam in eius nepotes,

aut familiaritate aliqua ei cōiunctos, propter eum  
 noster & omnium amor) & amicorum multorum  
 rogatu, præfici passus est, non modicè improbitate  
 tua dehonestabis, atq; adeò, quantū in te est, valde  
 ingratus, denigrabis. Patrum autem tuum imi-  
 tandum tibi proposui, Abba, nō quòd Benedicto,  
 Bernardo, aut cuiquam ex cohorte veterum Pa-  
 trum, qui iam in cælis æternam requiem adepti,  
 beata fœlicitate perenniter perfruentur, præferen-  
 dum impudenter & temerariè dicam. Aut quòd eū  
 ipsum vndequaque perfectum denique censeam  
 ( hoc autem solus nouit scrutans corda & renes  
 Deus ) sed potius vt hominem timoratum & per-  
 quam prudentem tibi que iam cognitum & per-  
 spectum, nec procul abs te seiunctum: vt que quem  
 tibi nepoti suo, gregi quoque tuo optime consul-  
 tum maxime cupere, certissime sciam. Et ne cerui-  
 cibus tuis onus aliquod viribus impar imponere  
 videar. Sed hic longior fortasse sum, quàm tempus  
 ipsum postulat. Itaque finis esto, vbi verbum vnum  
 addidero, quod vtique breue erit. Si autem ea que  
 modo dixi, præstiteris, Abba, (præstabis certè modo  
 volueris & conatus fueris. non enim deest tibi cor-  
 poris robur, aut incolumitas, laus superis: Nec etiã  
 est tibi paruum ingenium, nec incultum, nec tur-  
 piter hirtū) nos filios in Christo tuos, habebis non  
 solum vigilantes (omnium autem nomine loquor)  
 morigeros, & obediētes: sed tuorū etiam laborum,

Hora. epist.  
 lib. primo.

ac vigiliarum memores, dum viuimus, in laudem Christi pastoris summi, pro te orantes, decantare non desinemus:

*Ergo pia ob studia, & magnos durósque labores,*

*Ille Deus pacis det tibi pace frui.*

*Concedátque tuis succedant omnia votis:*

*Et bona successus adiunet aura tuos.*

Ant. Bardol

Hæc autem omnia, vt post huius vitæ pericula, exantlatósque labores, patrocinnante patre nostro Bernardo, à pastorum principe Christo Domino, cum cæteris eius ouibus à dextris collocatis, læti pariter audiamus: Euge serui boni & fideles, venite, percipite regnum quod vobis à Patre paratū est à constitutione mundi, gratia ac misericordia Domini nostri Iesu Christi, cui gloria & imperium in secula seculorum.

Matth. 25.

## DE NATIUITATE BEATISSIMÆ virginis Mariæ: Concio Capitularis.

THEMA.

*Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris: & flores mei fructus honoris & honestatis.*

*Ecclesia. 24.*



PTAREM equidem, fratres, tantum facundia à Deo cunctipotente in isthoc hodierno munere exequendo mihi esset concessum, quantum expectationi vestrae cumulatè satis facere posset. Cui, quia mi-

v. iij.

nimè facere satis valet infantia mea ( talis est profecto de me opinio mea ) atque musæ tenuitas : hoc vnum in primis , quàm possum amicè rogo , adsit mihi solita vestra facilitas , atque toties explorata humanitas . Prospicio autem mihi præcauendum esse , more eorum qui consulto structuras magnificas erigere aggrediuntur , aut simile aliquid attemptant ( nunquam enim prudentes supra eorum facultates quicquam promittunt ) ne in ipso huius concionis meæ exordio , magni quidpiam polliceri inueniar . Et monte iam parturiente iuxta paræmiam vobis cupidè auscultantibus , nascatur tandem dicente me ridiculus mus . Cæterùm ne diutius quàm decet , vos suspensos teneam , aut longiori circuitu verborum iam vtar : de vite illa fructifera , id est , sacratissima virgine Maria mox dicere incipiam , vbi eam ipsam pariter rogauerimus , quò nobis laudum suarum nonnihil recensuris , diuini numinis afflatus dilargiatur : dicentes :  
Aue gratia plena.



DE NATIVITATE BEATIS-  
SIMÆ VIRGINIS Mariæ:  
Concio Capitularis.

THEMA.

*Ego quasi vitis fructificavi suavitatem  
odoris: & flores mei, fructus  
honoris & honestatis.*

*Ecclesia. 24.*

**I**NTER multa & varia incommoda, fra-  
tres, quæ humani generis primi paren-  
tes (vt inde exordium sumamus) ex in-  
fœlici illo casu retulerunt, vnum hoc vel  
in primis dolendum, quòd terra, quantovis hu-  
mano labore excoleretur, semen tamen ei commif-  
sum minime pro voto reportaret, sed fructus suos  
cultori quantumlibet diligenti ingrata denegaret:  
Et pro cultura, irrigatione, optima denique se-  
mente, spinas & tribulos cultori suo refunderet Gen. 3.  
atque germinaret. Magnam sanè, & valde deplo-  
randam (sed vtinam hanc solam) infœlix nimium  
hæc dominici præcepti præuaricatio gēti humana  
attulit incommoditatem. Quæ alioqui absque mo-  
lestia in omni deliciarum genere suos transactura  
dies, in loco amœnissimo, atque omni fructuum,  
genere referto, fonte limpido omnia irrigante:  
Quæ & absque vlla difficultate, fœlici atque beata

x. j.

visione fruitura in celestem requiem denique transf-  
 erenda erat. Itaque hic mentis oculis penitius in-  
 tuendum est primum, Dei donum permagnificum  
 in genus humanum collatum. Inspicienda immēsa  
 Domini liberalitas, ac pietas erga mortales admi-  
 randa. E diuerso verò, considerandi primorum pa-  
 rentum animi parum grati, & beneficiorum acce-  
 ptorum memores parum Deum plasmatorē suum  
 mandati transgressione infœliciter concitantium.  
 Attamen Deus pientissimus suarum miserationum  
 nusquam oblitus, in tantum genus humanum di-  
 lexit, vt ad hæreditatem iam deperditam, iterum  
 aditum vel latissimum, sola in posterū obedientia,  
 & diligenti mandatorum ipsius exercitatione ho-  
 mini patefecerit. terrā quoque quam homo proprię  
 iniquitatis maleficio fascinoerat (omnis quippe  
 caro corruerat viam suam super terram) suæ beni-  
 gnitatis fonte inexhausto vberimè irrigauerit. quæ  
 culta, ad vsus hominū fructus necessarios abunde  
 fatis subministraret. Nempe factō cataclysmo, &  
 facie terræ ad fructus ferendos renouata, inter cæ-  
 teras arbores fructificantes, & vitem quoque plan-  
 tari, colique, & ordine poni opera dilecti sui Noæ  
 voluit: quæ tempore suo botros aspectu pulchros,  
 gustu suaues, delectatione plenos produceret atque  
 germinaret. Quorum liquore suauissimo homo la-  
 bore fessus roboraretur, & hominis animus gau-  
 dio perfusus exultaret. Et hæc facta à summo opi-

Gen. 6.

Gen. 7.

Gen. 9.

fice non absurdè credimus, vt fructum vitæ bene-  
 dictum Christum Dominum, ex vite virgine Ma-  
 ria, homo se aliquando accepturum diuinitus, spe-  
 raret. Quamquidem vitē ab initio creatam esse vt  
 cunctis mortalibus, ærumnarum atque malorum  
 ingenti mole oppressis solatium afferret, refrige-  
 riūmque præstaret, sapientia testatur dicens: Ab Eccle.24.  
 initio & ante secula creata sum, & qui creauit me,  
 requieuit in tabernaculo meo. Et item: Dominus Prouer.8.  
 possedit me in initio viarum suarum, antè quàm  
 quicquam faceret à principio. Ab æterno ordinata  
 sum, & ex antiquis antè quàm terra fieret. Non-  
 dum erāt abyssi, & ego iam concepta eram. Nec-  
 dum fontes aquarum eruperant, necdum montes  
 graui mole constiterant, ante omnes colles ego  
 parturiebar. Adhuc terram non fecerat, & flumina,  
 & cardines orbis terræ. Hanc itaque vitam Domi-  
 nus Deus benedicens, in montibus Ecclesiæ suæ  
 sanctis, manu propria, tanquam agricola pruden-  
 tissimus plantauit atque inseuit. Cuius ortum di-  
 gnissimum honorifice celebrandum hodierno die  
 eadē sacrosancta nobis profert Ecclesia. Quæ vitis,  
 virgo beata, vt à radicibus nobilioribus traxit ori-  
 ginem, ita gestis clarissimis suam nobilitauit prosa-  
 piam. Neque cuiusquam parui momenti æstimari de-  
 bet, à parentibus maioribusque virtute illustribus  
 vitæ suæ exordium sumpsisse. Nam maiorum pro-  
 bitas vitæque honestas, posteris non mediocre af-

ferunt ornamentum. Neque verò possunt parentes solidiorem ferè vllam liberis suis hæreditatem cõparare, quàm integritatis & probitatis vitæ suæ cõmendationem atque laudem. Quæ vitæ ratio in ipsos quoque parentes, reciprocatione quadam plerumque remeare cognoscitur: nempe liberorum probitas & virtus, vicissim ipsis parentibus decori & honori esse solet, dicente Salomone: Filius sapiens doctrina est patris: & Filius sapiens lætificat patrem: filius verò stultus, mœsticia est matris suæ. Nulli ergo venit ritè tribuenda maiorum laus aut dignitas, nisi qui maiorũ mores bonos pro viribus & sine fuce fuerit imitatus. Nemo tamen propter progenitorum infirmitatem atque socordiam erubescere debet, sed magis operam atque diligentiam adhibere studeret, eos virtute sua illustriores clariorésque efficere. Pulcher omnino thesaurus est, vti complures mecum fatentur, parentum maiorũque probitas atque virtus: sed multo pulchrius est vsurpare posse, nostra quidem virtus longe anteferenda paternæ est. Attendant igitur atque considerent, qui supercilio fastúque tumêtes, plus satis gloriæ & nobilitatis sibi ab auis promanasse existimant: ipsi interim virtutum inopes, vitiorũ abundè diuites (quanquam reor nullũ inter nos talem esse) maiorum nominibus, atque parentum, suis sordibus magnas offundentes tenebras: & ita multam suorum maiorum atque parentum virtutibus ob-

Prouerb. 13.

Prouer. 10.

scuritatem, improbitate sua affricantes : vt, si aliquando eorum progenitores, virtutibus insignes, in pretio habiti fuerant, tamen prorsus tradantur obliuioni. At quanto fatius esset ita vitæ suæ rationem cursúmque moderari, vt, progenitorum suorum vestigiis inhærentes, eosque cohonestantes, rebus bene gestis ac virtutibus florent, aliisque, ac posteris virtutum exemplum essent? Etenim,  
*Tota licet veteres exornent vndique cara.*

Iuuenal.  
 Satyr.8.

*Attria, nobilitas sola est atque vnica* V I R T V S.

Absque virtute autem homo, ne homo quidem sed potius monstrum in natura videri potest: id quod perpulchre Mátuanus hoc disticho expressit dicēs:  
*Mens virtutis inops, mare piscibus, alite calum,*

Mantuanus

*Sideribus mundus, gramine terra carens.*

Sed ne longius à re quàm instituimus, digrediamur. quanta verò dignitate ac virtutum splendore excelluerint maiores, aui, atque parentes virginis beatæ, mox manifestum erit, si ea quæ potissimum insignes conspicuosque solent efficere homines, alta mente intueamur: nimirum generis nobilitatem, potentiam, & sapientiam. Quæ omnia fuisse in gente Iudaica, ex qua originem radicemque suam sumpsit vitis nostra beatissima virgo Maria, inficiabitur sani iudicij nemo. Nobilitas quidem: nam Abraham, Isaac, & Iacob patriarchæ, gentis Hebraicæ iecere fundamenta. Quod si fortè illustrioris generositatis proauorum eius requiratur

Esaï. 11.

3. Reg. 10.

testimonium : profecto eam ipsam vitem regio stemmate, & illustri Regum stirpe, vt pote Dauidica exortam esse comperies. Virga siquidem est vitis nostra, virgo Mater, quæ de radice Iesse almo germine processit. Cuius maiorum etiam potentia, tum diuitiarum, tum armorum, tibi dilucida fiet, si libros veteris instrumenti diligenter euoluas. Armorum quidem, si Deborah, Gedionis, Samsonis, Dauidis, Ezechiaë victorias in memoriam reuocare studueris. Diuitiarum verò gloriam tibi aperient Salomonis opes, qui in diebus suis effecit, vt tanta esset abundantia auri & argenti in Ierusalé, quanta & lapidum: & cedrorum multitudo tanta, quanta sycomorum quæ nascuntur in campestribus. Sapientia denique hunc populum claruisse argumento est, quòd quum apud alios sola esset umbratilis quedam & diabolica: apud hunc verò, Dei beneficio floruit sapientia cælestis, quam caro & sanguis nõ reuelat, sed solus is qui in cælis regnat. Quaquidem imbuti ipsi propheta (ex quibus etiam accepit splendorem, & vicissim eis dedit vitis nostra virgo beata) longo, post, tempore ventura præcinuerunt. Hac eadem quoque afflatus sapientia Dauid, dulce Deo cecinit melos. Ipsa tamen vitis nostra, virgo mater, non tam splendorem ac dignitatem à maioribus accepit, quàm acceptam, suo fœlici germine condecorando adauxit. Nam ex ea fructus ille generosus, Christus Dominus, in hunc mundum fœ-

liciter cunctis mortalibus prodiuit. Qua, quæso nobilitate atque virtutum excellentia enituisse credenda est, quæ prorsus nescia labis, corpore pariter & mente sancta semper extitit? Omnium autem mortalium nobilitatem virtutis sanctitatisque splendore longe superasse vitem eam & credimus, & fatemur, etiam si heretici synagoga Sathanæ effrōs, nimia infania ac furore crepuerint, tanquam bufones in florentium vitium odore. Quanta verò potentia atque fortitudine valuerit, apertissimè ostēdit quum caput serpentis antiqui, humani generis inimici contriuit: cuius potestati, inquit Iobus, Iob. 41. nulla in terris comparanda venit. Si verò in ea diuitias requiras, veris opibus eam cumulatissimam fuisse planè perspicias. Verè enim diuitiæ sunt, quæ diuites virtutibus efficiunt, quas secum conscientia portat, vt in perpetuum diues fiat. Sapiencia denique eam emicuisse quis non videt, quum immenso sapientiæ pelago sit adimpleta, quando diuinum illud verbum, quod virtus est Dei Patris I. Corin. 1. atque sapientia, suo circumdedit vtero? In quoquidem verbo, thesauri omnes sapientiæ & scientiæ, Collo. 2. teste Apostolo, sunt reconditi. Perspicuum itaque satis euasit, vitem nostram virginem sacram, non modo egregium decus, & nobilitatem à suis maioribus accepisse: verumetiam multo copiosiorē illis splendorē atque gloriā post ortum suū sua virtute adiecisse. Nec sterilem eam remansisse, sed iure suo

Eccle. 24.

dicere posse : Ego instar vitis fructificaui, non putres, non præcoces, sed odore suaues, sed honorificæ maturitatis fructus honoris & honestatis. Nec mirum. Nam fructum suum flores pulcherrimi, nimirum virginitas cum humilitate coniuncta præcesserunt. Virginitas qua omnium creatori Deo summopere placuit. Humilitas autem, per quam, vnam illam supercælestem, Christum Dominum toti mundo germinauit. Arbor certè omni laude & cultu digna, quæ botrū illum nobis protulit, cuius liquore, sanguine pretiosissimo quotidie in mensa Domini, dignè accedentes inebriamur. Cuius arboris fructu mortales omnes malis huius mūdi oppressi mirifice recreantur. Cuius odore fragrantissimo totus orbis adimpletur. Veneremur itaque vitem hanc, virginem matrem, fratres, quæ vitis & vita nostra est, eam omni officio diligentiaque colentes. Nam ex ea collectus est ille fructus terræ sublimis, à quo emanat fons gratiæ & consolationis. Quo fructu, post huius vitæ cursum perpetuò frui nobis donet Iesus Christus Dominus noster, qui donum est & dator, cui gloria & imperium cum Patre & sancto spiritu in omne æuum.

Esai. 4.



DE FESTIVITATE OMNIUM  
Sanctorum: Concio Capitularis.

T H E M A.

*Initium sapientiae, timor Domini. vel, Timenti  
Dominum, bene erit in extremis, & in  
die defunctionis suae benedicetur.*

*Hoc, Eccl. 1.*

*Illud, Psal. 110.*

**M** I H I ferè persuasum est, fratres, vestrùm nonnullos admirari, quid sit, quòd in hac auditorum corona, bonarum literarum viri eruditi non pauci quàm sint, modò sedeant: ego quasi cæteris præferendus hunc locum præoccuparim, qui neque literarum cognitione, neque ingenij dexteritate, neque auctoritate denique sum cum eorum vel minimo confereendus. Quid ergo? ego omnium audacissimus? minime verò. At cæteris multo officiosior? neque istius quidè laudis vsque adeò sum cupidus amansue, vt eam cæteris præreptam velim. Quæ res igitur impulit vt id oneris tam repente subirè? vt paucis dicam, maiorum meorum auctoritas atque imperium, quibus reluctari ferè piaculum duxi. Cæterùm vbi tacitus mecum aliquandiu cogitaram, quid valerent humeri mei, quid ferre recusarent, ceruicem meam tantæ moli subduxissem, si non

sperassem benevolentiam vestram (qua in omnes soletis esse) ac fauorem, in hoc munere exequendo mihi quoque affuturū. Adeste igitur, oro, & diuos omnes, sed in primis Virginem matrem, diuorum omnium imperatricem pariter rogemus, quo coniuncula nostra scelicem exitum sortiatur, Gabrielis eulogium offerentes: Aue gratia plena.

DE FESTIUITATE OMNIUM  
Sanctorum: Concio Capitularis.

THEMA.

*Initium sapientiæ timor Domini. vel: Timenti  
Dominum, bene erit in extremis, & in  
die defunctionis suæ benedicetur.*

*Hoc, Eccl. 1.*

*Illud, Psal. 110.*

**S**PERO equidem nulli nostrū esse igno-  
tum, fratres, sed nobis omnibus gene-  
rali quadam notione cognitum, quā  
pulchrè seduloque, & quā paterne à  
Deo Patre salutis nostræ sit consultum: quippe qui  
nos in spem vitæ sempiternæ regenerarit atque ad-  
uocarit, & hæredes Dei, vt verissimè asseuerat di-  
uus Paulus, cohæredes autem Christi filij sui vni-  
geniti gratuito & misericorditer constituerit. Nihil  
muneris aut officij maioris à nobis exigens (bonorū

1. Pet. 1.

Rom. 8.

autem nostrorum, nec amorum eget) præter amo- P<sup>sal.</sup> 15.  
rem mutuam & timorem: non quidem omnem, sed  
seposita eius varietate multiplici, filialem potissi-  
mum, odio habentem malum, arrogantiam, & su- P<sup>rouetb.</sup> 8.  
perbiam, & viam prauam ac os bilingue detestan-  
tem. Tobias autem, omnes nos in filio suo Tobia Tob. 4.  
docens, quonam modo bene viuendum sit (vt ex-  
empla ad amorem mutuam, & timorem filialem  
comprobandum summo Deo vel maximè compla-  
cere, ex sacris literis aduocemus) meminisse iubet  
homines, hîc pauperem vitam viuere: habituros  
quidem multa bona, si Deum bonorum omnium  
largitorem timeant ac reuereantur. Cui, appositè  
succinit Ecclesiasticus dicens: Qui timet Deum fa- Eccle. 15.  
ciet bona. Psalmographus quoque huic sententiæ  
non vno in loco astipulari cognoscitur, sed in pri-  
mis, vbi ait: Beatus vir qui timet Dominum, in man- P<sup>sal.</sup> 111.  
datis eius volet nimis. Egregius quoque prædicator  
Paulus hoc idem vel certissime comprobans, Dili-  
gentibus, inquit, Deum, omnia cooperantur in Rom. 8.  
bonum. Porrò non abs re fuerit, si paucis perstrin-  
gamus, quanta mala contigere, Diuino numine  
permittente, non solum hominibus plerisque, sed  
& ipsis quoque Angelis, propterea quòd Deum  
super omnia diligendum ac timendum, timore illo  
ac amore complecti noluerint. Primùm enim certum  
est, signaculum illud similitudinis luciferum, quã Ezech. 28.  
uis decorus in paradisi deliciis Dei fuerit, è summo

- caelo cum Angelis suæ prauitatis confortibus , in  
 imum inferni protrusum fuisse, quòd Deo creatori  
 suo timore ac amore debito subdi recusarit. Scribi-  
 tur enim per Prophetam . Quo modo cecidisti de  
 caelo lucifer, qui mane oriebaris ? Corruisti in ter-  
 ram, qui vulnerabas gentes ? qui dicebas in corde  
 tuo, in cælum conscendam, super astra Dei exal-  
 tabo folium meum, & sedebo in monte testamēti,  
 in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinē  
 nubium, similis ero altissimo. Verumtamen ad in-  
 fernū detrahēris in profundum lacu. Cainus autem  
 primorum parentum primogenitus, Deum minime  
 pertimescens, fratrē suum Abelum iniustus iustum  
 interfecit. Et factus est vagus & profugus super ter-  
 ram. Pharao verò cum curribus & equitibus, dum  
 Israëlitas Deo vero sacrificaturos persequitur, nihil  
 timens Deū Israël, maris rubri aquis est absorptus  
 atque inuolutus. Chore, Dathan, & Abiron in Deū  
 blasphemi, ac voluntati diuinæ malignè reluctan-  
 tes, cum vniuerso concilio suo, viui in infernum  
 descenderunt. Saul autem à Deo derelictus pytho-  
 nissam consulens, proprio gladio sese transfixit.  
 Peccati radix Antiochus Syriae Rex, templo Do-  
 mini spoliato, Deum non reueritus : viscerum do-  
 loribus cruciatus, & vermibus toto corpore afflu-  
 entibus, miserè vita defunctus est. Balsasar Rex  
 Babylonis non timens Deum, regno & vita vna  
 nocte est priuatus. Sēnacherib in Deū blasphemus,
- Esaï. 14.  
 Gen. 4.  
 Exod. 5.  
 Exod. 14.  
 Num. 16.  
 1. Reg. 28.  
 1. Reg. vlti.  
 1. Macha. 1.  
 2. Macha. 9.  
 Dan. 5.  
 1. Paral. 32.

post centum octoginta quinque hominum millia,  
 Angelo percutiente vna nocte desiderata, à pro-  
 priis liberis cæsus, occubuit. Achab Deum minime  
 timens, infœliciter occidit, & canes eius sangui-  
 nem linxerunt. Iesabel verò eius vxor, mulier im-  
 piissima, prophetis Domini interemptis, præcipi-  
 tata, esca canibus fuit. Herodes antipatri Idumei  
 filius, timoris huius exors, paruulos Bethlæmitas à  
 bimatu & infra, præter cædes alias, carnifex tru-  
 culentus gladio interemit: & mox vario morborũ  
 genere à Deo percussus, infœlici eius corpore ver-  
 mibus emanantibus, ex hac vita demigrauit. Cuius  
 filius & ipse Herodes dictus, patris sæuitiam imi-  
 tatus, in nobiles latro, in socios populator, Hero-  
 diadem, fratris sui Philippi vxorem ducens, Ioan-  
 nem Domini præcursores saltatrice puella postu-  
 lante sustulit: qui & nihil veritus, Dominũ Iesum  
 Christum illusum ad Pilatum remisit. Et exul tan-  
 dem factus, infœlicem animam efflauit. Iudas ille  
 proditor, huius timoris expers, Christũ Iudæis vē-  
 didit, & sese laqueo suspendit, effusaque sunt, teste  
 Luca omnia viscera eius. Sed & Pilatus denique qui  
 in Dominum nostrum Iesum Christum iudicis ini-  
 qui functus est officio, propria se manu transuer-  
 berans nephariã vitam vi abiecit. Et plerique alij,  
 quorum meminerunt sacræ literæ, qui timorẽ Do-  
 mini procul à se remouentes, turpiter extremos dies  
 finire. Enumerare possem non paucos, etiam hoc

3. Reg. 21.

3. Reg. vlt.

4. Reg. 9.

Matth. 2.

Hyft. Eccl.  
lib. i. c. 8.

Marc. 6.

Luc. 23.

Hyft. Eccl.  
lib. i. cap. 13.  
& Iosephus  
18. ca. 14.

Matth. 26.

Matt. 27.

Act. 1.

Hyft. Eccl.  
lib. 2. c. 7.

nostro æuo vixisse, qui contempto Dei timore, & diuorum omnium honore, in mirabilibus super se ambulantes, quasi pro diis se haberi concupierunt. A quibus, Deus iudex iustus, non modo temeritatis, sed & violatæ religionis pœnas meritas repetiuit, dum Deo & hominibus execrandi & detestabiles extremum vitæ spiritum infœliciter efflauerunt. Rectè igitur & iustè dicimus, Initium sapientiæ timor Domini, &: Timenti Dominum, bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur. Iam verò restare puto simili breuitate percurrendum, quàm fœliciter, volente Deo, multis contigerit, qui Dominum Deum toto corde venerati sunt, debito eius amore semper flagrantes.

*Psal. 110.*  
*Eccl. 1.*

*Iob. 1.* Iobus autem vir simplex & rectus, ac timēs Deum, & recedens à malo, post multas calamitates non modo in corpore perpeffas, sed & bonorum omnium facta iactura, à Deo, quem amore & timore

*Iob. 2.*  
*Iob. 1.*  
*Iob. vlti.*  
*Daniel. 3.*

semper reuerbatur, donatus est, & corporis sanitate, & diuitiis multo amplioribus. Tres pueri in caminum ignis exardētis ab impio rege immissi, quòd Deum reueriti sint, intacti & incolumes flammis exempti sunt. Daniel autem in lacum leonum trusus, quia amore & timore Dominum Deum coluerit, saluus & illæsus euasit. Elias, Dauid, & multi alij Deum timentes, mortem sæpe euaserunt. Effecit porrò timor & reuerentia, vt mereretur Symeon vir iustus & timoratus, Regem cælorum

*Luc. 2.*

Christum Dominū inter vlnas amplexari, & iuxta  
 ipsius frigescens cor, sacrum Domini Iesu pectus  
 astringere. Si autem ad fimbriam vestimenti Iesu Marc. 5.  
 mulier illa sanguine fluens, protinus sanata est:  
 Quantum quæso gratiæ & solatij, suauitatis & sa-  
 lutis in se persensit Symeon sanctus, dum totum  
 corpus Iesu suauiter perstringeret? Atqui hoc præ-  
 stitit amor Domini, & timor dignus. Virginē ma-  
 trem timor Domini dignam reddidit, quæ filium  
 Dei vnigenitum sacro vtero conciperet, pareret,  
 atque vberibus lactaret. Timor denique Domini, Prouer. 14.  
 qui fons est vitæ, effecit, vt Sancti omnes, quorum  
 festiuitatem hodie læti celebramus, supplicia atque  
 tormenta varia, aluorū scilicet amputationes, ilio-  
 rum incisiones, acria verbera, vterorum exustiones,  
 oculorum effossiones, linguarum præcisiones, cru-  
 rium effractiones, incendia ignis varia, atque malis  
 artibus excogitata, crates, lebetes, eculeos, sarta-  
 gines, & pleraque alia parui facerent, certa spe  
 aterni præmij congaudentes atque gloriantes Ille  
 enim est amor, quo Deum super omnia diligimus,  
 & proximos sicut nosmetipsos. Quæ, quum ita  
 sese habeant, non iniuria exclamare possumus, Psal. 110.  
 Initium sapientiæ timor Domini, & Timenti Domi- Eccl. 1.  
 num bene erit in extremis, & in die defunctionis  
 suæ benedicetur. Diligamus igitur Deum, fratres,  
 & timore debito eū semper reuereamur, qui multo  
 maiori amore, nos adhuc inimicos amauit. Rom. 5.

Ioan. 15. maiorem amoré nemo habet, quàm qui animam  
 1. Ioan. 4. suam ponit pro amicis suis. Ipse enim Deus sic di-  
 lexit nos, vt filium suum vnigenitum daret propi-  
 tiationem pro peccatis nostris. Cui probè succinit  
 Rom. 8. Apostolus dicens: Proprio filio non pepercit Deus,  
 1. Pet. 1. sed pro nobis omnibus tradidit illum. Non ergo  
 corruptilibus auro aut argento redépti & adamati  
 fumus, sed pretioso sanguine Christi, agni immac-  
 ulati, qui meritis ac precibus gloriosis, Mariæ ma-  
 tris, Sanctorúmque omniũ, nos & Christianos cun-  
 ctos, cælestis Regni participes, per suam gratiam  
 ac bonitatem inexhaustam efficere dignetur.

## DE VARIO DOMINI

Aduentu: Concio Capitularis.

### THEMA.

*Rorate cali de super, & nubes pluant iustum: ape-  
 riatur terra, & germinet Saluatorem.*

*Esai. 45.*

**R**GO QVANTVLVS sum, hodie factu-  
 rus verba de æterni Patris, æterni filij  
 Christi Domini aduentu vario, fratres,  
 id, quicquid est laboris atque officij, non  
 modo non grauatè, sed libens magis subeo. At  
 non certè id, quòd censeam me ad dicendum de  
 re quauis, quocunque vestrum idoneum magis esse



(arrogantia hæc procul sit à me): nec quòd confidam ingenioli mei vires prouinciæ tam arduæ per omnia sufficere: nec quòd existimem denique eloquentiam meam, vel, vt verius dicam, meam infantiam expectationi vestræ satisfacere posse. Sed quia inualuit apud nos probata ista consuetudo, vt eorū aliquis, qui in sodalities quasi doctiores meliorum literarum habiti sunt, diebus statutis suggestum isthoc conscendat, & suarum lucubrationum non nihil, quod ad religionem sacram, ac veram pietatem facit & inuitat, depromat. Quod, quia mihi modò faciendū est (si tamen musæ meæ tenuitas auditu dignum aliquid, & ad pietatem faciens expromere valeat): Primum vos exoratos velim, mecum supplices diuinam opem imploretis, sine qua nihil efficit facundia humana, industria, aut solertia, quò is qui solus omnia potest, in cuius laudem & honoré, hoc laboris (vt æquum erat) suscepimus, mihi suggerere dignetur auribus vestris grata, & animabus nostris frugifera, pia mente offerentes: Aue gratia plena.

DE VARIO DOMINI  
Aduentu: Concio Capitularis.

T H E M A.

*Rorate cali desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem.*

*Esai. 45.*



VI BONARVM literarum disciplinis tradendis, & illustrandis diligentius operam nauant, fratres, quicquid ambiguous, obscurum, aut *ὀμώθυμον* inuenitur: sollicitè partiri, enodare, & in suas partes dirimere solent: vt, si quid fortè in eo quod instituitur, tenebricosum, & intellectui minus peruium fuerit: partitione facta, iuxta magni nominis cuiusdam præceptum, statim lectori innotescat atque ostendatur. Illorum autem assuetudinem orthodoxi, perfectæque fidei authores imitati, eorū nihil quæ confusionem parere posse creduntur, intactum relinquere admoliri cognoscuntur. Quorū vestigiis & ego hodie inherere cupiens (parua autem magnis sepe rectissime conferuntur) nollem vti Meandris sinuosis, longoque verborum ambitu circa Christi Domini varium aduentū, vbi breuia, certa, & clara de ipso effari licuerit. Faxit Deus, sit capiti meo aqua sapientiæ & intellectus, vt de quadri-formi Christi aduentu modo differere, vel paucis

Cic. lib. I. de  
offi.

valeam. Rem ipsam itaque penitius inspiciamus, atque eam quàm fieri poterit, paucis absoluamus. Christi autem Regis cælorum, omniumque Angelorum aduentum quadriformem esse, cuius sanctorum patrum in hac re commentationes diligenter euoluenti, facilè constare potest. Nempe in carnem, in animam, in mortem, & in iudicium. De quorum omnium ratione, ante Apostolos & Euāgelistas scripserunt amplissimè propheta Spiritu sancto edocti: De eo verò in carnem dicitur Christi aduentu, qui potissimum hodie in Ecclesia catholica lætabunda celebratur, protulit vatum primus Esaias dicens: Deus ipse veniet, & saluabit nos. Thema quoque nobis propositum, Rotate cæli de super, & nubes pluant iustum, aperiantur terra & germinet Saluatorem. Plerique item alij messia, qui erat gentium in lege promissa expectatio, aduentum suis scriptis perspicuè sunt testati. Nonnulli autem non scriptis, sed mentis oculis eius aduentum intuentes, apud sese taciti atque gaudentes cogitabant: Putas videbo? putas durabo? putas inueniet me adhuc superstitem admirandus ille filij altissimi in carnem aduentus? Tãdem verò adimpleuit Dominus desideria eorum, mittens in mundum filium suum vnigenitum, factum ex muliere, factum sub lege, vt omnes qui sub lege erant redimeret. Consideremus itaque altius, quis, & quantus sit is, cuius aduentum in carnem hodie

Esai. 35.

Esai. 45.

Gen. 49.

Galat. 4.

celebramus, nimirum rerum omnium summus opifex, verus Deus, & verus homo. Huius ergo aduentus memores, hoc est, tantæ misericordiæ memoriam facturi, statuamus Deo cunctipotenti gratias semper agere, ipsum adorare, laudare, & benedicere, pro immenso illo dilectionis, ac charitatis ardore quo nos miseros peccatores, tam benignè in fine temporum, post quinque millium annorum spaciū è summo cælo respexit. Propter nos autem in carnem venit, homóque factus est, vt nobis viam prius oclusam, in regnum cælorum adaperiret & ostenderet, ac in se primus demonstraret. Aduentum verò Christi secretò in hominis animam, Euangelista Ioannes minime subticuit, sed de eo sermonem satis amplum & magnificū fecit, quum diceret: Si quis diligit me sermonem meum seruet, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui & Salomonem quoque non latuit, dum denarraret animam iusti, sedem esse sapientiæ. Sapientia verò Patris, dicente Apostolo, Christus est. De aduentu autem Christi in mortem tam clarum & manifestum est, quàm id quod est clarissimum, quum nulla fere inueniatur sacrarum literarum pagella, quæ non huius aduentus mentionem vel apertissime faciat. Huic quoque accedit, articulum esse fidei Christianæ, quem, multorum testimoniis, quasi dubium reuocare, nephas esse duco. Itaque hinc ad eum qui est ad iudicium Christi aduen-

Ioan. 14.

Prouer. 14.

1. Corin. 1.

tum, & hunc articulum fidei me conferre decre-  
ui, & pauculis acturum constitui. Quoquidem  
aduentu similiter literæ sacræ veluti ager floridus  
vndequaque vernans, aut fons vberime scatens,  
totæ refertæ esse cognoscuntur. Scriptum nempe  
est: Ecce venio citò, & merces mea mecum est, Apoc. 22.  
reddere vnicuique secundum opera sua. Et: Viri  
Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus Act. 1.  
qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet, quem-  
admodum vidistis eum euntem in cælum. Psalmo-  
graphus denique de eodem aduentu loquens ait:  
Deus manifestè veniet, Deus noster & non silebit. Psal. 49.  
Ignis in conspectu eius exardescet, & in circui-  
tu eius tempestas valida. In eo autem aduentu, qui  
nouissimus erit, sedebit Christus iudex in iudicio  
& iustitia, & contendet cum peccatoribus terræ.  
Tunc autem colliget regna, & congregabit gentes, Sophon. 3.  
& effundet super eas indignationem, & omnem  
iram furoris sui.

*Huc aderunt trepidi reges in iura vocati:*

*Ductoresque alij, matrumque virumque propago:*

*Infantumque manus: sedem veniemus in vnam:*

*Non aberit quisquam: notescent omnia latè*

*Sponte sua: non hic dictæa mouebitur vrna.*

Quàm terribilis aduentus ille, fratres, in quo vsque  
ad nouissimum minutum reddenda erit villicationis Luc. 12.  
ratio, vbi nec parès, nec amicus, nec vicinus, nec  
Rex, nec magistratus, nec honor, nec potentia, nec

viator, nec hospes, nec timor vlli præsidio esse poterit : sed homo solus cum suis factis, vel condemnabitur, vel corona æternæ gloriæ coronabitur? Nam quæ prius occulta erant tunc reuelabuntur

2. Corin. 4. omnia, iuxta Apostolum dicentem : Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. Qui autem scrutatur corda & renes, Deus, cogitationes, verba, & opera iustè iudicabit. Primo autem suo aduentu, amabilis in dulcedine, ac sermonis suauitate venit, mel afferēs, non aculeum, misericordiam, non iudicium. Postremo verò iustus in seueritate veniet, & maiestate magna. Nam scriptum est : Quia ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadriga eius reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis. Quia in igne Dominus diiudicabit, & in gladio suo ad omnem carnem. Tunc autem reprobi in æternum supplicium repente corruent. Nam, vt inquit Apostolus

1. Pet. 4. Petrus: Vbi iustus vix saluabitur, impij & peccatores vbi parebunt? Iusti verò in claritatem cælestem ac sempiternam perducentur, vbi neque nubent, neque nubentur, sed inter Angelos Dei, in cælo suauiter & perenniter victuri collocabũtur. Aduentus quoque quintus fortasse nõ ineptè assignari posset, quo Christus iudex, singulis hominibus tempore mortis vel potius post mortem aduenit daturus vel supplicia vel præmia laboribus suis condigna. Nam

Esai. vii.

1. Pet. 4.

Matth. 22.

de eo aduentu scriptum est : Beati serui illi, quos LUC. 12. quum venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Præparemus ergo corda nostra, fratres, dum possumus, & in hac mortali vita sumus, vt Christum ad iudiciũ adueniẽtem securi suscipere valeamus. Diligenter inuigilemus, ac bonis operibus incessanter infudemus, eoque studiosius, quo magis diem mortis appropinquare cernimus, ne in aduentu illo serui somniculosi, sed vigilantes potius inueniamur. Sic demum confecto huius viæ, & vitę ærumnosæ cursu in perpetuum lætabimur, prestãte eodẽ Domino nostro Iesu Christo, æterno patre cũ Sancto spiritu.

DE CONCEPTIONE BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ:  
Concio Capitularis.

THEMA.

*Sanctificauit tabernaculum  
suum altissimus.*

*Psal. 45.*

**R**EQVENS est parcœmia, fratres, & ita frequens atque vñitata, vt omnibus fere habeatur in ore: Vires vltra nemo queat bellare, licet sit quãtumuis animo promptus. Qua innuitur, nihil à nobis temerè, aut supra  
z. iiij.

Eccl.3.

vires nostras tentandum esse: sed id solum aggrediendum quod nostra facultas subire commodè possit. Quod & sapiens inter optima vitæ humanæ instituta inseruit dicens: Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. Verum ego admonitionū harū quasi parum memor, virginē matrē ab omni peccati originalis macula immunem esse, sacrarum literarum testimonio, ratione, & Ecclesiæ catholicæ confirmatione, contra veterum quorundam opinionem, vobis audientibus ostensurum me, nimis fortasse iuueniliter, quanquam non iam iuuenis nuper (meministis enim) recepi. Itaq; pollicitis satisfacere cupidus, institutum mox prosequi occipiam, simul atque ipsam virginem, cuius patrociniū suscepi simul precati fuerimus, quo mihi in hoc suo negotio opem ferre dignetur, ei eulogium euangelicum offerentes: Aue gratia plena.

A V T H O R. H O M O C H R I S T I A N V S.

*Virgo expers navi, & primaeva nescia culpa.  
 Quæ Dominum ancilla, & filia nixa patrem.  
 Hæreseon pestes, scelerum contagia, mundo  
 Hæc tibi diuina falce secare datum est.*



## DE CONCEPTIONE BEATIS-

SIMÆ VIRGINIS MARIÆ:

Concio Capitularis.

THEMA.

*Sanctificauit tabernaculum  
suum altissimus.**Psal. 45.*

ANTA filiorum erga parētes esse debet reuerentia, fratres, tantā veneratio, vt quum indignum quidpiam, impiūmve parentibus falso adscribi cognouerint: indignè id ferre, & crimen obiectum totis viribus auertere, ac depellere debeant. Ita enim priscos legimus, quum quidpiam blasphemiam sonans, potissimum in Deum communem omnium patrem audiuisent, protinus vestes suas dilacerasse, vt eo testimonio molestè sese ferre declararent, omniū parenti Deo contumeliam fieri. Sic Ioram Regem 4. Reg. 5. Israël cognoscimus quum accepisset Naamanum Syrum, Regis Assyriorum militiæ principem leprosum, à Rege Syriæ ad se missum, vt à lepra curaretur, vestimenta sua scidisse, ac dixisse: Nunquid Deus ego sum, vt occidere possim, & viuificare, quia iste misit ad me, vt curem hominem à lepra sua? Sic Barnabam & Paulum ex Actibus Act. 14. Apostolorum cognoscimus, quum se viderent à

A. j.

turbis Deos existimari, coronis & sacrificiis, ritu gentilitio honorari, in doloris & indignationis testimonium vestes suas dirupisse, loquutosq; esse: Viri, quid hæc facitis? Et nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum qui fecit cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis continentur. Atqui sacrosanctæ virgini ac matri Mariæ illatam esse iniuriam atque contumeliam à nonnullis prisce ætatis hominibus ex variorum authorum lectione intelligimus, suo effreni calamo contendunt eam originalis culpæ labem in suo conceptu contraxisse. Nos verò filij qui per eam salutis & vitæ auctorem Christum Iesum suscepimus, ac in filiorum Dei adoptionem recepti, ab exilioque reuocati sumus, qui regressum denique per eam in cælum obtinuimus, debemus ne matris tam magnam & tam ignominiosam ignominiam taciti & æquo animo ferre? præsertim quum tam sancta & immaculata dicatur, & verè sit, vt de ea gratiæ plenitudo prædicetur? Nihilominus ipsi aduersarij nostri quibusdam sacrarum literarum sententiolis, si diis placet, innitentes, vel vt verius dicam, abutentes, matrem Christi Domini astruere conantur peccato originali in conceptu obnoxia fuisse. Aiunt enim ex Apostolo: Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Et: Per vnum hominem peccatum in omnes pertransiit, in quo omnes peccauerunt: Et similia

Luc. 1.

Rom. 3.

Rom. 5.

nobis obiiciunt anſam ſui erroris ex ſacrarum literarum fruſtulis perperam intellectis emendicantes atque aucupantes, quæ ſonare videntur, vniuerſum genus hominum præuaricationis prothoparentis peccato obnoxiū extitiſſe, non animaduertentes virginem matrem ab hac peccati labe ſpeciali gratia exemptam exceptamque fuiſſe. Et, proſectò, ſi non excepta fuiſſet, illi communi legi peccati ſubiacuiſſet aliorum hominum more. Sed parumper audiamus, & quod verum eſt perquiramus. Primum, in libro Geneſeos prædixit Deus Gen. 3. ſerpenti, ſe poſiturum inimicitias inter ipſum & mulierem, & ſemen huius & ſemen illius: Ipſam quoque mulierem ſerpentis caput contrituram. At, ſi mulierum omnium quas vetus & nouum instrumentum commemorant catalogum ſerièmq; recenſeamus, nullam ex toto eo ordine numero ve reperiemus, cui dictum illud adaptari queat, præterquam ſoli virgini Chriſti matri. Non autem Gen. 17. Saræ, quamuis à Domino benediçtæ, non Rebecca Gen. 24. pulchræ, non Racheli facie decoræ, & aspectui venuſtæ, non eius ſorori Liæ, non Dinæ, non Mariæ Gen. 34. ſorori Moyſi, non Iudith temperanti, non Ruth, Nu. 12. non Micholi fideli, non Abigaeli prudenti, & ſpecioſæ, à David toties benediçtæ, & tandem ei nuptiis copulata, non Hester pulchræ nimis, & decoræ, Iudith. 12. non Suſannæ pudicæ, Deumque timenti, nõ Ruth. Marthæ, non Mariæ Magdalenæ, Iacobi, aut Sa- 1. Reg. 19. 1. Reg. 25. Hester. 2. Daniel. 13. Luc. 10. Marc. 16.

lomi, nec cuicumque muliebris sexus alij. Ipsa igitur Maria Domini mater, singularis illa, & vnica mulier est, quæ inimicitias illas cum antiquo serpente, humani generis hoste exercuit: & iuxta sacræ historiæ testimonium illius caput fortis contriuit. At quonam pacto id rectè virgini matri cōpetere potest, si virulentum illius afflatum non omnino euasit, sed aliorum hominum more sensit? Quo modo, inquam, Mariæ id coaptari valeat, si pestifero à primis parentibus traducto culpæ originalis veneno, non minus quàm aliæ mulieres contaminata est? Tum siquidem nullus inter eam & serpentem, inimicitiarum locus extitisset, si eius vulnere more aliorum hominum percussa esset: nec serpentis caput ipsa contriuisset, sed contraversum à serpente fauciata, læsa, & contrita esset. Ipsa ergo Maria sola, speciali gratia præuenta, & à peccati originalis culpa præseruata extitit, eò quòd præuisa fuit & prædestinata, quæ esset mater immaculata, & domus Dei. Vnde de ea, à nonnullis summæ doctrinæ viris dici asseritur: Domum tuam Domine decet sanctitudo. Et item: Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Salomon quoque de eadem ait, Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Ipsa denique domus est, de qua etiam scribitur, Sapientia ædificauit sibi domū, &c. Sed causantur aduersarij nostri ipsam post contracta originalis culpæ contagia, in vtero ma-

Gen. 3.

Psal. 92.

Psal. 45.

Cant. 4.

Prouerb. 9.

tris ab ea labe purgatam esse superueniente in eam spiritu sancto: Et proinde, ex eo tempore serpentis caput contriuisse. Sed quàm elumbis ac inualida sit eorum calumnia, & tergiuersatio aduertite quæso, fratres. In primis Ieremiam prophetam in utero matris suæ sanctificatum fuisse diuus Hieronymus sacra historia instructus verissime asseuerat. Ioannem quoque Baptistam spiritu sancto adhuc in utero matris suæ repletum fuisse, ex Euangelio cognoscimus. Ac horum neuter propterea serpentis caput diminuisse dici potest, cuius pestiferam luem certè vterque sensit. Quare, neque Maria Christi mater verè dici posset serpentis caput contriuisse, quòd post contractam labem, in matris utero diuinitus mundata fuerit. Porrò, quum sacrarum literarum testimonio compertum atque manifestum sit, milites, & Christi præcones, Ieremiam & Ioannem Baptistam hoc munere tam egregio, à Deo donatos fuisse, necdùm ex utero in hanc lucem æditos, vt ab originalis peccati sorde diuinitus detergerentur: quanto maior ipsius Christi in propriam matrem, quàm in seruos & milites esse debuit beneficentia, ampliòrque beneficiorũ cumulatio? At si post lapsum dumtaxat, matrè suam erexerat, nulla maiore vsus est in eam, quàm aut Ieremiã, aut Ioannem munificentia: nullo ampliori matrem suam tam dilectam, quàm suos præcones, in hac parte, affectit honore. Quod

Hiero. in præfatione super Ieremiam.

Luc. i.

profectò nec diuinam maiestatem decuit, nec est  
 verisimile eum fecisse. Peccatum siquidem origi-  
 nale, hominem in iram diuinam multorum testi-  
 monio constituit, & membrum Sathanæ facit, ad  
 peccata inclinat, calorum portas occludit, inuali-  
 dum hominem reddit, animam tenebris & cali-  
 gine obfuscat & æterna fœlicitate denique priuat.  
 Quum itaque peccatum originis vsque adeò inui-  
 sum Deo sit, hominemque abiectum & impoten-  
 tem reddat, æterna fœlicitate (si non remittatur)  
 priuet: An credendum est Christum Dominum,  
 dilectissimam genitricem suam Mariam in tantas  
 peccatorum sordes, & iram Dei cadere permisisse?  
 Profecto non videtur rationi rectæ cõsentaneum,  
 nec quisquam mihi, id asserens vnquam persuaserit,  
 tantum abest vt aduersariis quantũuis magni no-  
 minis, manus victas in hac causa, tradere possim.  
 Sed & Theosophiæ professores plerique omnes, in  
 hanc nostram sententiam pedibus ire cognoscun-  
 tur, quorum suffragia omnia ad eam ostendendam  
 ab omni labe non solum originalis, sed etiam ve-  
 nialis peccati alienam fuisse, hic recensere nimis  
 longum esset. Quibus & diuus ipse Augustinus suf-  
 fragium suum adiungens, dicit se nullam velle mē-  
 tionem facere de virgine matre; quum agitur de  
 peccatis. Porrò, qui arcam illam Mosaycã ex lignis  
 setim imputribilibus compingi voluit, in qua repo-  
 nendi erant panes propositionis: longe valentiori

Scotus.  
 Anselmus.  
 Gerfonus.  
 Arboreus.  
 D. Thomas:  
 qui tamẽ ali  
 quãdo huic  
 sententiæ  
 reclamauit.  
 Aug. lib. 1  
 de nat. &  
 gratia.  
 Exod. 25.

ratione atque argumēto, matrem suam, arcam animatam, in qua requieturus esset panis ille de cælo descendens, dānsque vitam mundo, ab omni putrefactione peccati in suo primordio & conceptione præseruasse credendus est. His quoque accedit Ecclesię catholicę authoritas atque assertio, quę, quia Spiritu sancto regitur, errare nūquam potest, quæquidem Mariam matrem, absque omni peccati sorde conceptā fuisse, corpore pariter & mente sanctam immaculatāque, secundum sapientiam & dispositionem Dei imperscrutabilē semper extitisse verissime asseuerat, dicens in concilio Basiliensi legitime coadunato: Haftenus difficilis questio in diuersis partibus, super Conceptione ipsius gloriosæ virginis Mariæ matris Dei, de exordio sanctificationis eius facta est. Et nos diligenter inspectis authoritatibus omnibus, quæ iam à pluribus annis ex parte vtriusque doctrinæ allegatæ sunt. aliis etiam plurimis super hac re visis, & matura consideratione pensatis: doctrinam illam differentem gloriosā virginem Mariam, præueniente & operante diuini numinis gratia singulari, nunquā actualiter, subiacuisse originali peccato: sed immunē semper fuisse ab omni originali & actuali culpa, sanctāque & immaculatam: tanquam piam, & consonā cultui Ecclesiastico, fidei catholicæ, rectæ rationi, sacræ scripturæ, approbandam, tenendam, & amplectendam definimus & declaramus: nulli-

Ioan. 6.

In Sessione  
36.

que de cætero licitum esse, in contrarium prædicare, seu docere. Renouantes præterea institutionē illam de celebranda eiusdem sancta Conceptione, quæ sexto idus Decembris antiqua & laudabili cōsuetudine celebratur. Hæc nobis concilium Basiliense. Quæ, quum vera sint omnia: Quumque sacrarum literarum testimoniis adhibitis certa constant: ratione efficaci modo probata sint atque demonstrata: Ecclesiæ denique authoritate sacrosancta corroboretur, atque confirmetur: æquum est, imo necessum est, vt nos filij firmiter credamus Mariam Christi matrem, non solum ab illa ignominia originalis peccati in conceptu prorsus immunē fuisse: Verumetiam ea puritate plenam ornatamque extitisse, qua, sub Deo maior intelligi nequit: quamuis puritas illa præseruationis ex gratia fuit, Dei verò puritas ex natura. Hæc autē paucula habui, quæ nunc pro ea dicerem, vt ab illata contumelia pro meis viribus vindicarem. Mater enim omnium nostrum, atque adeo Christianorum omnium est. Siquidem omnibus veniam petentibus, misericordiæ sinum pietissima aperit. Reis obtinet veniam, ægris medelam, afflictis consolationem, periclitantibus adiutorium atque liberationem. De ea autē, vt paulò antè dixi, gratiæ plenitudo verè dicitur. Etenim sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Et de seipsa vere ait: In me omnis gratia vitæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis.



Ipsam itaque deprecemur, quæ nihil non potest apud cunctipotentem Deum filium suum vnigenitum, vt Christianos omnes in suum tabernaculum æternum, beatorum sedem recipiat Idem filius eius Iesus Christus Dominus noster, cui est honor & gloria cum patre & sancto spiritu.

HOMINIS CHRISTIANI  
ad virginem matrem, Oratio.

*Virgo, quam Gabriel dimissus ab arce salutat  
Cælesti: misera plebis adesto salus.*

DE DEDICATIONE ECCLESIAE:

CONCIO CAPITVLARIS.

THEMA.

*Omnis scriptura diuinitus inspirata, utilis  
est ad docendum, ad arguendum,  
ad erudiendum in iusticia.*

2. Timot. 3.

**R**OQVVTVRVS de hodierna festiuitate, fratres, (non enim licet more meo solito, per occupationes alias, quibus modo distringor præfatione longiori iam vti. Hoc tantum dicere vacat. Rogo, fauete auribus atque animis) optarẽ me vel paucula, tanta solennitate digna, & quæ in vsum nostrum aliquẽ

B. j.

vertere valeamus, in medium afferre posse. Cæterum omittentes prorsus ea cuncta, quæ per benedictiones & orationes huiuscemodi, vt ex potestate inimici in vsus hominum veniant, & salutaria efficiantur, ex cõsuetudine catholicæ Ecclesiæ ab Episcopis sacerdotibusque consecrari solent, vtpote vinum, aquæ, sal, ignis: & quæ pontifices in consecratione ornatuum, vasorum, altarium, & his similibus orant: de solius templi cõsecratione pauca modo eloquemur: etsi ex sacris literis, & sanctorum patrum dictis, tela nobis, non obtusa adeo ad manum fortasse non deessent, si paterentur negotia, quæ me, vt iam dixi, alio vocant, quæ iacere possimus in huius temporis pseudochristianos quosdam contendentes nullum templum construi, nec iam constructum, nec vestes vllas, aut quicquam tale denique, per Dei, aut suorum seruorum in celo viuentium inuocationem sanctificari debere. Quæ, quàm sint absurda, & rectæ rationi dissidentanea, addam, & fidei catholicæ nequiter detrahentia, facile cuius est dignoscere. Etenim si vestes sacratæ (vt pauca de ea re transeunter eloquamur) veteris testamenti sacerdotibus necessariæ fuerunt, qui boues, vitulos, ouesque secundum legem offerebant: quanto æquius est, sacratis vestibus nouæ legis sacerdotes indui, qui in sacrosancto missæ sacrificio, Christi Iesu verum corpus & sanguinem, & sacramenta semper veneranda salutis

nostræ reliqua conficiunt omnia? Sed ad ipsam tē-  
 pli dedicationem veniamus. Scriptum esse ab Apo<sup>2. Corin. 3.</sup>  
 stolo diximus: Omnis scriptura diuinitus inspirata,  
 utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corri-  
 piendum, ad erudiendum in iustitia. Ideoque sa-  
 cris literis doceri nos oportet, & de mysterio con-  
 secrationis templi, credentes illud quoque alicubi  
 in nostram vtilitatem conscriptum esse. Primum  
 autem in lege ipsa naturæ, argumentum hoc ha-  
 bemus certum: Iacob eximium patriarcham dedi-  
 cationem templi in spiritu cognouisse, & quasi ty-  
 pum & exemplar nostrorum temporum Episco-  
 porum in consecrandis templis fuisse. De eo enim  
 » scriptum legimus: Vidit in somnis Iacob scalam Gen. 28.  
 » stantem super terram, & cacumen illius tangens  
 » cælum: Angelos quoque Dei ascendentes, & de-  
 » scendentes per eam, & Dominum innixum scalæ  
 » dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham  
 » Patris tui, & Deus Isaac. Quúmque euigilasset Ia-  
 » cob de somno ait, Verè Dominus est in loco isto,  
 » & ego nesciebam. Pauénsque ait, Quàm terribilis  
 » est locus iste? non est hic aliud nisi domus Dei &  
 » porta cæli. Surgens ergo Iacob mane, tulit lapidem  
 » què supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fun-  
 » dens oleū desuper. Appellauitq; nomē vrbis Bethel,  
 » quæ prius Luza vocabatur. Beth enim domum, èl  
 verò Deū, interpretū nō pauci Hebraice significare  
 volūt. Sed & in lege scripta quoq; (vt, quæ ante legē

Num. 7.

datã in hac re fiebant,omittamus)quo modo à Domino Moyfi seruo suo demãdata imperatãq; tabernaculi,quod tẽpli nostri typus & forma erat,& quãto apparatu,ac magnificẽtia à populo illo Domino electo perfecta fuerit consecratio,nõ vno in loco, sed plurimis veteris testamenti vel apertissimẽ legitur. Quamquidem eximiam solennitatem, non vnum & alterum diem, sed duodecim dies totos, iuxta numerum duodecim tribus Israel perdurasse ex eisdem scripturã locis, eos diligentius considerantibus facillẽ cognosci potest. Quum igitur in lege scripta, frequentius tabernaculum, ac templũ Domini sit diligenter & magnificẽ consecratum, vbi victimã, hostiãque eiusdem legis, & sacrificia sunt pertractata, Vituli,boues,agni,oues, & huiusmodi multa,quã secundum legem veterem iussa sunt immolari: quanto honorificentius consecrari debeat templum Domini, in noua lege & testamento, vbi sanctus sanctorum tractatur, immolaturque, & verus Christi filij Dei agni immaculati sanguis, non autem vitulorum,bouum, aut agnorum sacerdotum manibus offertur? Corpus quoque Christi verum, bap̃tismus, cãterãque sacramenta sacrosancta fidelibus, Episcoporum, & sacerdotum cãterorum manibus administrãtur? Vbi non Moyfes tantum & prophetã audiũtur, sed insuper & Christi sacrum Euangelium, fœdus illud nouum gratiã, quod idem Christus pepigit cum

sponsa sua dilecta Ecclesia, immo & cum qualibet  
 fideli anima, quæ, certe, sedes est sapientiæ, hoc est, Prover. 14.  
 filij Dei tabernaculum (vt mox dicetur) cupidè ab  
 optimis quibúsq; auditur, legitur, & intelligitur?  
 Itaque non solum externam istam, huius templi  
 nostri consecrationem alacriter, & summo gaudio  
 hodie celebrare iure tenemur, sed vnusquisque no-  
 strum multo maiori gaudio, & alacritate, Dedic-  
 ationem sanctificationemque, in tabernaculo cordis  
 nostri atque animæ præparare dignam debemus,  
 in qua sanctus sanctorum penitus inhabitet, per-  
 maneátque. Siquidem anima sancta, templum  
 Dei est spirituale, dicente Apostolo: Templum 2. Corin. 6.  
 estis Dei viuientis. Et rursum: Nescitis quia templum 1. Corin. 3.  
 Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Itémque,  
 Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Si  
 quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum  
 Deus. Ideoque templi Dedicatorem recolentes,  
 sedulo demus operam, in ipso templo die ac nocte,  
 templum cordis nostri sanctificare, recogitantes  
 immensam Dei pietatem, ac misericordiam quam  
 in nos præstitit, dum templum in hac terra nostri  
 generis causa sanctificari voluerit, vbi corpus suum  
 pretiosissimum, nostræ redemptionis pretium ma-  
 gnum conficeretur, vbi cætera salutis nostræ sa-  
 cramenta dignis subministrentur, vbi semper ad-  
 essent Angeli, orationes obsecrationesque bono-  
 rum colligentes, & in cælum ante thronum agni

Apoc. 5.

Gen. 28.

deferentes, quemadmodum vidit in Apocalipsi  
sua Ioannes, vbi ait: Et ceciderunt quatuor anima-  
lia, & viginti quatuor seniores coram agno, habē-  
tes phialas aureas plenas odoramentorum, quæ  
sunt orationes sanctorum. Hæc est enim scala illa  
per quam Angelos descendentes & ascendentes in  
somnia vidit Iacob patriarcha. Hic quoque est lo-  
cus, in quo benignius celeriusque exaudit omnium  
vota ac preces Christus, qui effundunt sicut aquã  
cor suum, ante conspectũ Domini Dei sui. Simus  
igitur (vt finem imponam) frequentes in templo,  
fratres, leuantes manus puras, ac Deum orantes in  
spiritu & veritate, vt ad cæleste illud templum,  
cælorum Regnum tandem peruenire mereamur,  
Gratia Domini nostri Iesu Christi, cui, cum patre &  
spiritu sancto sit gloria & imperiũ in omne æuum.

Magnus Dominus, & laudabilis nimis:  
& magnitudinis eius non est finis.

Psal. 144.

τέλος.

## I N D E X

### Epistola nuncupatoria.

|                                                              |      |
|--------------------------------------------------------------|------|
| De Natiuitate dominica Concio: pag.                          | 1.   |
| Item, de Natiuitate dominica Concio: pag.                    | 17.  |
| De Apparitione Domini Concio: pag.                           | 29.  |
| De Purificatione Beatæ Mariæ Concio: pag.                    | 36.  |
| De Sancto Benedicto primo Abbate Casinensi<br>Concilio: pag. | 44.  |
| De Annuntiatione dominica Concio: pag.                       | 51.  |
| De Resurrectione dominica Concio: pag.                       | 60.  |
| De Ascensione Domini Concio: pag.                            | 67.  |
| De Missione Spiritus sancti Concio: pag.                     | 75.  |
| De festiuitate corporis Christi Concio: pag.                 | 81.  |
| De Sancto Ioanne Baptista Concio: pag.                       | 93.  |
| De Sanctis Petro & Paulo Apostolis Concilio: pa.             | 100. |
| De Assumptione Beatissimæ virginis Mariæ<br>Concilio: pag.   | 119. |
| De Sancto Bernardo Claræ vallis Abbate<br>Concilio: pag.     | 126. |
| De Natiuitate Beatæ Mariæ Concio: pag.                       | 151. |
| De festiuitate omnium Sanctorum Concio: pag.                 | 161. |
| De vario Christi Domini aduentu Concio: pag.                 | 168. |
| De Conceptione Beatæ Mariæ Concio: pag.                      | 175. |
| De Dedicatione Ecclesiæ Concio: pag.                         | 185. |

### E R R A T A.

*Pag. 4. lin. 10. lege, es*

*Pag. 151. lin. 9. lege, patrocinate.*

*Pag. 178. lin. 11. lege, qui suo effrangi calamo.*

INDEX

Epistola transpositionis

De Mutatione dominica Concordia pag. 1

De Mutatione dominica Concordia pag. 17

De Mutatione dominica Concordia pag. 27

De Mutatione dominica Concordia pag. 33

De sancto Basilio primo Abbate Constantinensi Concordia pag. 44

De Augustino dominica Concordia pag. 52

De Augustino dominica Concordia pag. 60

De Augustino dominica Concordia pag. 67

De Augustino dominica Concordia pag. 77

De Augustino dominica Concordia pag. 82

De sancto Iohanne Baptista Concordia pag. 83

De sancto Iohanne Baptista Concordia pag. 100

De Augustino dominica Concordia pag. 110

De Augustino dominica Concordia pag. 119

De Augustino dominica Concordia pag. 122

De Augustino dominica Concordia pag. 127

De Augustino dominica Concordia pag. 131

De Augustino dominica Concordia pag. 135

De Augustino dominica Concordia pag. 138

De Augustino dominica Concordia pag. 142

ERRATA

Pag. 4. lin. 10. lege 33

Pag. 17. lin. 2. lege, paterfamilias

Pag. 178. lin. 11. lege, qui suo effreni caliditate



